



Vacandum Studiis.
En Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubietate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonneminis Witteberga emissae.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

DE
ESSE ALICUBI
ſeu UBIETATE,

TRACTATUS SINGULARIS.

PHILOSOPHICO-THEOLOGICUS.

Univerſas Ubietatis ſpecies, habitudines, competentias, plenariè deducens, formales rationes exactiùs inquirens, & ad materias Theologicas applicationem oſtendens. Ut illis intelligendis ac defendendis non parum utilitatis inferre queat. Multa etiam de Ubiquetate, Omnipræſentia, Multipræſentia, conſtituuntur, & pleniùs explicantur.

AUTHORE

HENRICO NICOLAI,
Phil. & Theolog. Apud Gedanenſes
Profeſſore.



DANTISCI, Typis GEORGII RHETII.
ANNO M DC XLI.

Syllabus Sectionum Tractatus hujus.

Syllabus Exercitationum in Tractatu hoc occurrentium.





MAGNI-

MAGNIFICÆ
Nobilissimorum ac Amplissimorum Virorum
TRIGÆ,
Dno. NICOLAO PAHLE,
Dno. ADRIANO von der LINDE/
Dno. JOHANNI ROSSOW,
Illi ProConsuli & p. t. Præsidi spectatissimo.
His Consulibus & Senatoribus Inclytæ Reipubl.
Gedanensis primariæ meritissimis.

Dnn. Patronis & Mecænatibus observanter colendis

S. & Prosperitatem.



Vi locorum Ornamenta persequvuntur, *Nobilissimi, Amplissimiq; Viri, Patroni & Mecænates observandissimi*, modò in venustate ædificiorum se tenent: modò negotiorum commoditatem mirantur: aut in spatiositate, quod prædicent, inveniunt: aut incolarum humanitate aliovè retinentur, ut quem vel affectus, vel ratio commoverit. *Nostra Urbi*, quæ singula in aliis admiramur, fermè Universa benignum in nos Numen indulsit. Qui encomiis texendis se occupatum tenere voluerit, velut in sterili argumento materiæ defectum causari non opus habebit. Erit, *quod* in ædificiorum cultu cantandum fuerit: *quod* circumjacentium camporum, frugibus herbisq; luxuriantium, fertilitas sibi poposcerit. *Quod* terræ facies vario colore diversaq; imagine allubescens, sibi addixerit, dum & rivis perluitur, & sylvis vestitur, & æquore sternitur, & collibus assurgit, & equitabili vastaq;

 plani-

planitie decumbit, & in singulis iteratâ varietate blanditur: *Quod* populositas Urbis requisierit, tantâ ad negotia discurentium multitudine differta, ut seminarium credi queat, ex quo Jupiter mortales in orbem emittat: *Quod* portus commoditas sibi destinaverit, & vitreo colore oculorũ hilaritatem pascens; & equis ligneis lætissimas ex remoto orbe merces littoribus invehens; & uvidum rete non sine squamoso pecu hamiotæ remittens: Et *quod* alia voluerint, aut memoratu digna, aut non omnibus indulta. Quæ ab aliis dicta dicendavè, in præsens commentandi argumentum non insumam. *Alia* sunt, quæ ego suspicio; ac dicendi non inutilem occasionem jam suppeditare videantur. Præter cœtera, quib. propitium nos fatum Orbi commendat, & literarum commercio nos nobilitare sustinuit. Quæ relata sunt, cum pluri-mis locus noster habeat communia. Literarum commercium nonnisi cum lectioribus peculiare. *Vitam sine literis* barbariem esse, non vanè creditum est. Vivi hominis mortem appellare solebat *Diogenes*. Corpus cum beluis commune â DEO suppeditatum est. Animum in propriis habemus: quem nî scientiâ cultum habeamus, parum in hominibns proficiamus. Nec quid, nec quantum, nec quare, sciverimus. Stupore ac pituitâ demersi, ne paratas quidem artes cognoscere audebimus. Ut febriculosum quid occurrerit, immortalitatis pretium æstimabimus. Ut vacuæ naves, incertis jactatæ ventis, vagabimur, & mens incerta errabit, quam scientiæ saburra non stabilierit. Ubi tristia, ut hoc ævo abundè sunt, incurrerint, verissimum nepenthes sapientiæ studia præstabunt. Ubi affectus exundet, in interiore illâ mentis Oeconomiâ optimum Imperium â sapientiâ fuerit, quæ exsultantem composuerit. Plus mens, quàm manus, valebit: plus industria, quàm pecunia. Cum è literis hæc habeamus, ingens Numinis benignitas agnoscenda est, quòd tantos inter Europæ motus nostro loco eas servari intelligamus. Vastitas & barbaries *Germaniæ* imminere videtur: tenebræ, boni honestiq; inscitia, & quod

sequi

ſequi ſolet, contemptus. Ne noſtris locis eveniat, ſolicitâ prece præcavendum, ac dum licet, literis operandum. Hoc Vos mecum, *Viri Nobiliſſimi*, ſentire & cogitare certus ſum. Ego, quantum aut officij ratio popoſcit, aut occaſio tulit, pro meâ vice in eo occupari annixus ſum. Specimem Operæ in Gymnaſio exhauſtæ iteratum apporto: *Veſtrisq; Ampliſſimis Nominibus* præfixis in publicum mitto. Absq; dubij interventu certum mihi; Et de laboribus noſtris Vos ſentire honorificè: & de illis, quæ collocavi, cenſere poſſe juſtisſimè. Effudi in obſcuro *De Eſſe Alicubi* negotio qualiacunq; cogitata mea. Materies nec in ſe tractari indigna eſt: Et ad varias diſceptationes Theologicas ſolidè percipiendas, explicandas, ac defendendas, omninò neceſſaria. Quid certitudo rerum, & conſtantia ſententiarum ferre voluerit, curioſâ veſtigatione perquiſivi. Cœterùm, ſive lucem obſcuris, ſive tenebras nimiùm claris infuderim, coram acri obtutu Veſtro tàm facilè diſcuſſum ea iri confido, ac notulis fieri ſolet. *Vos* obſcuritatem promptitudine alacritatis detergere, & judicij Veſtri nitorem vegeto iſto ingenij lumine legentibus commendare poteritis. Benè Valete, *Ampliſſimi Patriæ Patres*, & exiguum ſcriptum Veſtro favore ac patrocinio non indignum exiſtimate. Gedani. E Gymnaſio noſtro, 18. Calend. Septembres. Anno M DC XLI.

M. M. M. A. A. A. & D. D. D. V. V. V.

obſervantiſſimus

HENRICVS NICOLAI,
Profeſs. Gymn.

INDEX
Præcipuarum rerum in Tractatu hoc de Esse alicubi occurrentium.

Crea-

Reſur-

Erratis veniam, Lector amice, dabis.

SOLI DEO GLORIA.



DE ESSE ALICUBI seu Vbietate

SECTIO PRIMA.

De Esse alicubi in genere.

EXERCITATIO PRIMA.

De Definitione Esse alicubi.

Respon. GREGORIO SCHUBERTO Grudentino Borusso.

THESIS I.

REmpublicā ita gubernādā esse nescio quis Poli-
ticorum rescripsit, Vt si ratio ejus poscatur, non possit
reddi. In Transcendentalibus rerum generibus
plura occurrant, de quibus vulgus, & vulgo consentiens
semiliterionum turba, simile quid proclamet: Ita ea tradenda
habendaq́ue esse, ut si exactior eorum quæratur ratio, reddi non
queat, aut debeat. Vtcunq́ue Causas, effecta, personas, acci-
dentia, creaturas, præsentiam, necessitatem, contingenti-
am, similiaq́ue crepemus: Quid tamen sint, explicare nos non at-
tineat, surdisq́ue auribus prætervehamus dicturos illa. Ingens
Ramæorum Philosophorum caterva ad hanc aram thura ado-
leat, universam Transcendentium doctrinam aut uno impetu sub-
ruentium: aut sparsim inutileq́ue nonnullis Logicis meletemati-
bus infarcientium. Primipilus sectæ, Ramus præf. Schol.
Metaph. fidenter: Aristoteles, inquit, præter superiores li-
bros alios quatuordecim conscripsit de Logicâ, titulis va-
rijs inscriptos, tùm Sophiæ, tùm Philosophiæ, tùm Philo-
sophiæ primæ, tùm Theologiæ, tùm Metaphysicæ, ut vul-
gò in Scholis τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ [illegible] appellantur. De Theologiâ a-
men paucul versus erant: Logica a. reliqua sunt omnia: Aut no-
minatim, ut de caussis, oppositis, comparatis & reliquis Logicæ de-
cretis:

cretis: aut idearum Mathematumq́ nomine, in quibus Logica quædam de causis, de genere & specie disputantur. Itaq; Philosophi quidam jam ante Alexandrum Aphrodisæum hanc Aristotelis matæotechniam deprehenderunt, ut in principio 3. Metaph. dicetur. Et Plutarchi in Alexandro de his libris judicium illustre est. Reverâ Metaphysica tractatio ad docendum a. discendum nil utilitatis habet. Eadem Paucis interjectis, & in titulum l. 1. τὰ μετὰ τὰ Φυσικὰ, ac lib. 5. Schol. Metap. c. 29. *alibiq; habet. Similia à* secutulejis *ejus proponũtur & acceptantur.* V. Dunamum l. 1. Dial. c. 1. Snellium in proleg. Dialog Log. & proleg. prælect. in Dialect. Rami. Beemannum in proleg. compar. Log. *aliosq́.*

II. *Audax satis pronuntiatum: inprimis, si à vero abeat. Ac contra Veteres magna novandi temeritas, cum fundamento careat. Asseruit* Aristoteles *Metaphysicam diversam ab omnib. cæteris disciplinis Philosophicis: & post primos Philosophiæ parentes, Thaletem & Pythagoram, à nemine diversitas in dubium vocata fuit. Ramo audendum fuit, homini, si* Horneio præf. in Comm. Log. Corn. Martini *fides adhibetur, Latinam Græcamq; lingvam vix ad mediocritatem docto: cætera omnis in universum eruditionis experti. Si* Burgersdicio præf. instit. Log: *Eleganter quidem docto, sed audaci, temerario, & in antiquitatem sane quàm injurio. Ille traductis Latinis barbaricis, Aristotele Græcisq́ Interpretibus, cunctisq; sapientibus inscitiæ & obscuritatis nomine, novam Philosophandi rationem introduxit, triobolarem Dialecticam, quæ veterem veramq; Aristotelis è manibus hominum excuteret, substituit: primæ Philosophiæ arietes admovit, eamq́; exscindere conatus, Mathesi demonstrationes Physiologiæ motum, tempus, locum, eripuit, & Logicis renitentibus addixit. Universa ante se inventa unâ litura inducere, totumq́; sapientiæ regnum suo solius ingenio termi-*

terminare destinavit. Tantam Civilis doctrinæ interpolationem promittere aggressus, ut vel vesticipum ætas senum prudentiam de cætero provocaret, aut vinceret.

III. *Sed malè evenerunt destinata pleraq́. Secutuleij orti sunt pauci: Admiratorem certè secta nacta est neminem. Quàm infausto sydere Physica, Mathematica, Logica, sedibus suis convulsæ, proprijs ostenditur quidquè locis. Hic* Metaphysices *fatum dolendum sit, & resectum ab Philosophiâ genuinum caput.* Datur peculiare objectum, formali conceptu distinctivo ab omnib. inferioribus suis diversum, *principia, affectiones, contractiores conceptus specierum vicem sustinentes, communissimâ ratione concepta, & ab omnibus inferioribus suis distincta, indifferenterq́ & abstractissimè cogitatæ, considerandi modo à Logicis multùm dissito ac diverso. E. diversam pro isto objecto ejusq́ principijs & affectionibus disciplinam dari prorsùs est necesse.* Quatuor *enim illa distincta, distinctoq́ considerandi ab omnibus alijs disciplinis modo tradenda; Objectum, principia, affectiones, & divisiones, distinctam requirunt insitibili disciplinam, in quâ tradantur. Ita in Metaphysicis objectum à Logicis omnibusq́ cæteris disciplinis diversissimum est, Ens; Cum in Logicis πᾶν νοητὸν, seu omne rationabile, vel de quo rationaliter disseri potest, sit. Differt autem Ens à νοητῷ, ut reale quid ab intentionali, absolutum à modificato, fundamentum à fundamentato. j.e. conceptu ejus. Ascendendo enim per inferiora ad superiora, quid homo sit, rogatus, animal, respondebis. Quid animal? Corpus vivum. Quid corpus vivum? Corpus mistum. Quid porrò corpus? Substantia. Quid hæc? Ens. Ubi velut in metâ contemplationis subsistes, nec ultrà processus patet. Si homo, animal, corpus vivum, mistum, corpus, alicui disciplinæ asseritur: Cur substantia & Ens ei negantur? Cum non minùs de substantiâ & Ente quæri possit, Quia sint, qui-*

bus principiis, saltem analogicis, constent, quotuplicia sint, quas affectiones habeant, quàm corpore, animali, homine? Aut quid summa meruerunt, quòd disciplinis ejiciantur, cùm inferiora illis ad discutiendum inferantur? Est ergò disciplina, quæ contemplatur Ens, ut Ens est, & quæ Ei insunt, verissimè Aristoteles in 4. Meta. c. 1. t. 1. rescripsit. C. 2. *quidem & Metaphysicam & Dialecticam de omni Ente disputare ait. Sed quî id intelligendum, statim adjicit:* Dialectica est tentativa, de quibus Philosophia est cognitiva, *inquit. Dialectica modos ratiocinandi de omni Ente suppeditat: Sed Metaphysica Ens & realia ejus realiter repræsentat in principiis, speciebus, attributis. Horum nihil per se delibat Logica: sed notiones Logicas format,* quæ in omni Ente potestates constituant ad ratiocinandum. *Illa in cognitione reali Entis & cognitorum, ut ultimo fine, quiescit: Hæc præcepta sua cognita ad eruendam in quovis cognoscibili veritatem deducit. Illa tota in cognitione realium occupata, ut Ens rationis obiter tantùm, & secundariò, quà oppositum Entis realis est, attingat: Hæc tota per se & ex professo in notionum secundarum Logicarum tractatione se tenet.*

IV. *Quòd si causas, causata, tota, partes, subjecta, adjuncta, absoluta, comparata, secundùm realem naturæ suæ & attributorum considerationem Logicæ tractationis esse dixeris, Cur non pari jure & Ens, Essentia, Existentia, duratio, Vnio, Veritas, bonitas, ubietas, perfectio, finitum, infinitum, mensura & mensuratum, signum & signatum, necessarium & contingens, dependens & independens, creatum & increatum, actus & potentia, corruptibile & incor. simplex & cõpositũ, naturale & artificiale; circumscriptum & incircumscriptum, in parte terminorum Logicâ traduntur, quæ non minùs Enti competunt, de eoq; verissimè enunciari possunt, ac causa vel causatum, subjectum vel adjunctum, totum vel pars, aut simile quid? Quorum tamen omnium*

omnium ingens in Logicis Ramaeorum est silentium; & nonnulla ex divisionibus Enuntiationum è parte secundâ Logices demùm arcessuntur. Vt verum & falsum, necessarium & contingens. Satis miserè, mutilè, impertinenter, ac multis modis ineptè, ut plurib. doceri possit, si hujus loci res esse possit. Corn. & Jac. Martinios, Werembergiū, Gutkium, Wegerum, *similesq́, adi, & aliena ea esse facilè deprehendes. Quaedam ex* d. §4. Log. repet. t. 17. 18. seq. *huc facientia desumere potes. Non Enuntiationum tantùm sunt affectiones, Veritas, falsitas, necessitas, contingentia: Sed ipsarum rerum simplicium. Imò magis harum, quàm illarum. Ob harum enim veritatem, necessitatem, contingentiam, quam in suis ipsis naturis fundamentaliter radicatam res ipsae habent, (de falsitate tamen paulò seciùs est, quae non tàm in rerum Naturis, quàm pravis cogitantium conceptibus & combinationibus est, ut alibi docebo,) enunciata de illis facta sunt vera, aut à vero devia, necessaria aut contingentia. Neq́ aliter, nisi alienè è Topicis haec arcessentur. Quae* generalia omnibusq́; disciplinis communia axiomata, ad argumentandum probabiliter de quovis scibili idonea, *tibi suppeditabit. E. g.* Positâ causâ *in actu agendi non impeditè ponitur effectus, qui est operatio.* Contrariorum *per se & ex suâ naturâ sunt contraria consequentia, & effecta specialia ac materialia.* Posito genere, *& communiori ponitur species & angustius; sed in confuso, non determinato.* Posito subjecto *ponitur adjunctum commune in confuso, & sublato illo tollitur.* Quales *circumstātiae, tales probabiliter res, quas circumstant.* Comparata *vi comparationis sunt aequè nota, & similia. Naturam realium significatorum in terminis Causa, Causatum, totum pars, actus, potentia, Esse, existere, signum, signatum, finitum, infinitum, delitescentem, quaeq́, eò faciunt, nūquam è Topicis jure elicias aut requiras. Quae & nihil eorum ex se novit: nec nisi alienè ab*

nè ab

nè ab illâ sunt exposcenda. Ut alibi pluribus deductum.

V. Iam ne uberiùs in Metaphys. Naturam deducendam aut asserendam præcognitis loco nos diffundamus; præsens ipsum argumentum, quod tractandum, DEO suppeditante, suscepimus, veritatem enuntiati §. 1. adducti edoceat, plura in Metaphysicâ suppetere, Quorum si ratio poscatur, reddi vix & nonnisi difficulter possit. Alicubi nos esse, nõ nullibi, nec nusquã degere, quæ degunt, cui non ê vulgò classicè usurpatum? Sed reddere rationem istius alicubi esse, in quonam accuratè consistat, & quî præcisè se habeat, â vulgo frustra expectes, ab Doctoribus non sine labore rescisças, eiq; complanando Delphicum consuluisse Apollinem fas arbitreris. Dixerunt Metaphysices munus inter alia sapientes, omnes generales realesq; terminos, quos Transcendentia appellare consenserunt, planè perfecteq; explicatos dare, ne eorum quisquam vel omittatur, vel imperfectâ explicatione Natura ejus detorqueatur. Termini ipsi bonâ ex parte §. 4. adumbrati. Illis & hic, cujus discussio tractatus nostri argumentum futura est, Alicubi esse, seu Ubietas, aggregandus videri queat. Cum alteri cuidam disciplinæ merito suo assignari non possit. Ac de eo, priusquam ultrà procedamus, duo velut præcognitionis loco disceptanda veniant. 1. An justè terminis Metaphysicis transcendentibus societur hic, Esse alicubi, vel Ubietas? An justiùs omittendus videatur? Omittendum esse authoritas Veterum & Recentium Metaphysicorum complurium docere queat, si authoritatis momentis res transigi debeat. Omittunt eum in Transcendentibus ex Vetustioribus Aristoteles, Javellus, Niphus, Soncinas, Albertus Magnus, Alexand. Aphrodisæus, Jandunus, Thomas Aquinas, Venetus, & Veterum plerique. Ex Neotericis in Transcendentium doctrinâ eum omittunt Suaretz, Fonseca, Jac. Martini, in Exercitationibus, Partitionibus, Disputationibus

bus Metaphysicis, & Centurijs Philosophicis, Arnisæus, Corn. Martini, Werenbergius, Bartholinus in Metaphysicâ *majore & minore,* Prætorius & Sagittarius *in axiomatib. Metaphysicis,* Eustachius S. Pauli, Raconis, Arriaga, Mendoza, Murcia, Complutenses, Conimbricenses, *aliiq;. In prædicamento Ubi quidam nonnulla de eo adducunt, ut post videbitur. Tradendum tamen Eum in Transcendentib: terminus & ratio docet, & autoritas recentiorum quorundam, accuratiùs in Metaphysicam inquirentium, suadet.* Ratio dupliciter. *1.* Nam generalis aliquis *Entis actualis & exsistentis modus est, alicubi esse, præscindendo etiam ab create aut increato, nec ad Ubietatem entis creati, quæ in prædicamento Ubi locari solet, & modus accidentalis est, præcisè determinando. Indifferenter enim alicubi esse sumi potest, & à modis suis specialibus abstrahi, qui sunt, alicubi esse repletivè, designativè, & circumscriptivè, & in indifferentiâ suâ generaliter spectari, in quo consistat, & quid singulis modis generaliter conveniens sit. Nec in hoc generali conceptu quidquam imperfectionis aut incompetentiæ est, quæ generaliter terminum usurpari, ac divinis simul inferri prohibeat. Sed qui modi ad finita & infinita generalitate suâ sunt indifferentes,* illi omninò Transcendentales modi sunt, *adeòque in parte Metaphysices generali, quæ terminos transcendentes pertractat, proponendi, si tractatio Metaphysica completa esse debeat. Ergò & hic modus, alicubi esse, quia generalis & abstractus ad finitum & infinitum est, inter Transcendentia tractari meretur.* 2. Affectio nec cum Ente realem compositionem, *nec realem ab eo distinctionem faciens jure inter attributa transcendentalia computatur. Prædicamentales enim affectiones & compositionem & realem differentiam inferunt. Sed Ubietas essentia is, quam per esse alicubi jam intelligimus,* nec compositionem *admittit: Competit enim & DEO, &*

acci-

accidentibus, quæ puræ formæ & compositionũ expertes sunt; Vt in Metaphysicis uberiùs confirmatur. Quidquid enim est, eo ipso quo est, alicubi est. Hac enim generalitate hic τὸ alicubi esse sumitur. V. t. 8. Nec realem distinctionem. *Nihil enim nominari potest nova rei realiter ab esse rei distincta, quam Enti superaddat Vbietas: Omniq; extrinseco & accidentali remoto intrinsecè & essentialiter res alicubi esse ac ubietatem habere intelligitur, i. e. sub tali modo esse, quo non nullibi sit, sed in ubi vel spatio adesse denominari queat. Posito, etiamsi omnia extrinseca sint remota. Ita DEVS alicubi fuit ante conditum mundum, etsi nulla extrinseca, quibus adfuerit, fuerint. Aliud a. est de præsentiâ vel adessentiâ actuali loqui, quæ relativum prædicatum est, & alia extra se, quibus præsens dicatur, requirit. Quæ non est ipsa ubietas, sed ejus velut ad coexistentia extrinseca extensio & exsertio.* V. §. 40. *E. ubietas vel esse alicubi rectè inter Transcendentalia attributa numeratur.*

VI. Authoritas. *Quæ & à* Philos. Aristoteleis & Rameis *sumi potest. Ex* Aristoteleis *apud ipsum* Aristotelem *quædam sunt opinioni huic faventia. Ita* l. 4. Phys. c. 1. t. 1. *evidenter, Omnia quæ sunt, ait, omnes alicubi esse existimant. Quod verò non est, nusquam esse.* L. 1. d. cœl. c. 9. §. 96. *divinum quoddam locari agnoscit.* Consuevimus, *ait, maximè extremum & sursum vocare cœlum, in quo & divinum omne collocatum esse dicimus. Hoc autem collocari longè eminentius quid locari sublunarium corporum esse apertè agnoscit.* §. 100. Quapropter, *quæ illic (nempè in Cœlo) apta sunt esse, nec tempus facit ipsa senescere, neq; ulla transmutatio ullius eorum est, quæ super extimâ collocatione disposita sunt: sed inalterabilia & impassibilia, optimam habentia vitam, toto ævo perseverant. Vbi locari aliquod agnoscit citra alterationes aut passibilitates, quale corporum sublunarium est. Aristoteli consentit* Thales Milesius

lesius ap. Laërtium l. 1. in Thal. *locum maximum quid vocans, quòd omnia capiat.* *Et* Cicero 1. Tuscul: §. 11. *Si quid est, nusquam esse non potest. Si verò nusquam sunt miseri, igitur ne sunt quidem.* *Ex* Patribus Damascenus *locum adeò generaliter sumit, ut & ubi angelicum ac divinum comprehendat.* Lib. 1. d. orth. fid. c. 17. *de loco DEI tractat.* C. 18. *de loco angelorum & animæ rationalis. Ac ubi generale, & corporibus & spiritibus universìm competens, insinuat.* Quidam *locationem & localitatem ita generaliter sumunt, ut omni Enti etiam DEO, eam adscribant. Vt* Gorlæus ex. Phil. 2. f. 4. *De quo* f. 4. §. 36. 41. *videas.* Metaphysici Vetustiores *cum prædicamentum Vbi tradunt, sæpè superiorem modum τȣ̃ ubi insinuant, quàm Vbi prædicamentale.* *Quomodo DEO aliquis modus ubietatis conveniat. Vnde aliquod esse alicubi transcendere prædicamenta, & sic inter transcendentia tradi debere relinquitur.* Veteres Philosophi *vetustam divisionem* tripliciter alicubi essendi *posuerunt, repletivè, definitivè, ac circumscriptivè. At repletivè ubicari divinum quid & transcendēs est & prædicamentales classes eminentiâ sui transcendere alibi doceatur.* V. d. 4 Gym. Lo. rep. t. 20. *Vnde cum aliquod ubicari rei divinæ & infinitæ sit, aliquod rei finitæ: generalis ratio ubicandi seu alicubi essendi indifferenter ab utraq; re abstracta dari debet, & sic inter transcendentia pertractari.* *Ex* Rameis Philosophis *pleriq; locum, motum, & tempus generaliter omni rei assignant, Vt alibi ostensum.* Dec. 1. Misc. d. 1. t. 6. 35. Et f. 4. c. 1. *patebit.* *Vox loci meliùs in esse alicubi vel ubietatem immutatur, & sic ut affectio generalis, ac ad creatum increatumq; in formali ratione indifferens in generali Metaphysices parte proponitur.* *Ex Neotericis Philosophis ubietatem inter transcendentia proponunt* Lippius in Metaph: magnâ, Noltius in Metaph. Scheiblerus l. 1. Meta: c. 17. Calouius in Met. generali, tract. 2. a. 1. c: 8. *Et inter generalia esse non*

obscurè insinuat dn. Wegerus q.12.in lib. Categoria. n.2. *Vbi nullam rem esse ait, quæ non præsentiam realem alicubi habeat: sive id fiat localiter, sive non. Postea præsentiam in spatio affectionem cujusvis entis vocat. Quidam in doctrinâ localis & illocalis inter Transcendentia eam includunt, Vt* Keckerman. l. 1. compen. Meta: c. 10. Combachius c. 14. Metaph. n. 12. 13. Timplerus l. 2. Meta: c. 5. Alstedius Encycl. l. 5. p. 1. Meta: c. 27. Reyerus marg. Philos. d. 1. t. 570. seq.

VII. Quidam *in prædicamento Vbi de esse alicubi quædam pertractant, ut* Suaretz *agendum putat*, d. 3. Meta: s. 2. n. 11. *& facto agit* d. 51. Meta: *Esse alicubi divinum, quod infinitum & substantiale est, non accidentale, prætermittat. Eodem loco illud tradunt* Prætorius Meta: spec: s. 10. Can. 1. Scharfius l. 3. Meta. c. 5. Eustach. S. Pauli p. 1 Dialect. t. 3. s. 8. Weremberg. Ex Meta: 18. t. 19. *& paucis* Arriaga d. 5. Meta: n. 42. Alij *in doctrinâ de proprietatibus Entis de Vbi nonnulla adducunt. Vt* Raconis p. 4. Metaph. t. 2. c. 1. pro. 2 pag: 68. *Sed* negat, *inter veras Entis proprietates numerandum esse, quòd nec universalib. entib. nec omnib. singularib. ut DEO, competat.* Alij *in Physicis de loco multa tradunt de Vbicationibus, ut latè* Arriaga d. 14. Phys. s. 2. Mendoza d. 14. Meta s. 2. Alij *aliter.* Commodissimè Vbietas *modus adexistentiam entis extra causas existentis & actualitatem habentis consequens dicitur, & in transcendentalibus post existentiam Entis inter attributa eius unita pertractatur. Vel modo aliquis secūdario unito dici potest duratio & Vbietas, quæ ex respectu quodam ad extrinsecum quid,* Nunc & Hic, *enti intrinsecè ac essentialiter competant, ab existentiâ Entis realiter non differentia. Duratio permanentiam, Vbietas adessentiam generaliter sumptam entis notat. Adeoq; post affectiones Entis unitas* primarias, *magis intrinsecè Entis statum definientes, quales sunt Vnitas, veritas, bonitas, perfectio,*

Sub

subjungi possunt secundariæ, *magisq́ extrinsecè illum determinantes, quà non tàm esse in Ente, quàm essendi statum, quandoitatem, finem essendi, aut modum adessendi respiciunt, unde duratio & alicubi esse seu alicubitas exsurgunt.*

VIII. Præmisso præcognito, *An in Metaphysicis de esse alicubi præcipiendum, atq́ ubi illud commodissimè agendum, jam* in Nomine, *alicubi esse, quædam libanda venient. Eaq́* vel quà homonymiã, vel Etymologiam, vel Synonymiam. Homonymia *est, quà variè τὸ esse alicubi & ubietas sumitur. Notat* 1. Esse *in ubi particulari & determinato. Quomodo in prædicamento ubi alicubi esse sumi solet. Ita spiritibus creatis & corporibus ubi tribuitur. Ita* Scaliger *Ubi affectum necessarium omni Enti,* præter DEum, *vocat*. ex. 5. s. 6. ex. 6. s. 2. ex. 359. l. 5. *Hoc modo* Augustinus, Chrysostomus, Damascenus, *negant DEUM alicubi in loco esse, quòd infinitus sit, & ad particulare Ubi restringi non possit.* V. Suaretz. d. 51. Meta. s. 6. n. 7. *Et ita in communi loquendi modo alicubi sumitur, ut ad determinatum aliquod Ubi respiciatur. Ut cum aliquem Gedani, Romæ, Venetiis, esse dicimus. Sic opponitur Ubiquetati & omnipræsentiæ. & qui alicubi est, ubiq́ esse negatur. Ita* Augustin. l. 83. qu. q. 20. *Non alicubi est DEus: Et tamen quia est, & in loco non est, in ipso potiùs sunt omnia, quàm ille alicubi. Ita* Zanakius l. 1. c. 1. Mar. s. 2. c. 6. *Nego, ait, ubiquetatem habere relationem ad ubi, sed ad ubiq́.* τὸ Ubiq; enim negat certum ubi, *sicut Ubietas habet relationem ad ubi.* 2. Interdum *notat præsentiam actualem ad aliquod externum coexistens, quomodo in communi locutione alicubi aliquem esse dicimus, qui in certo loco aliis rebus sibi coexistentibus actu præsens est. Ita cum præsentiâ æquivalet. Hoc ex Etymologiâ sumptum, quo alicubi quasi aliquod Ubi dicitur, & vi nominis particulare Ubi infert. Sic contra Ubietatem distinguitur, & Ubietas ma-*

gus ut affectio, modus, potentia, & prius rei, essentiale ipsi & ab reali extrinseco circumstante abstractum, Esse alicubi magis ut actualis adessentia, posterius, actus quidam & accidentale quid rei separabile, & ad extrinsecum coexistens respiciens concipitur. 3. Interdum *ipsum esse in loco notat, & extrinsecâ loci formâ circumscribi. Sic Tiphanus* l. d. person. c. 54. n. 20. *Ad quæstionem, per quid formaliter res est alicubi, nulla alia forma assignanda est, quàm extrinseca loci, & dicendum, alicubi esse nil aliud esse, quàm contineri loco, seu habere extra se superficiem corporis immobiliter continentis. Omne enim, quod est alicubi, habet talem formam extrinsecam, & omne, quod non habet, non est alicubi. Sic &* Aristoteles 4. Phys. t. 45. *sumit. Hoc modo sola corpora alicubi erunt, quia sola loca habēt.* V. s. 4. *Cæterùm ubi magis, quàm locus, competit.* 4 Interdum *à speciali & angusta illâ usurpatione deviat, & generaliùs sumitur τὸ esse alicubi, pro omni adessendi modo, sive ad Ubi speciale, sive ad generale & ubiq; esse respiciatur: sive substantiæ competat, sive alij rei à substātiâ, ut modis, accidentibus, quæ etiam sua Ubi habent, saltem ἀναλόγως, cum quidquid est, nusquam esse non possit: sive rei creatæ tribuatur, ut angelo, animæ rationali, corpori; sive increatæ, ut DEO: sive modum intimum notet, quo res in spatio esse dicitur: sive actum extimum, quo alijs actualiter adesse intelligitur. Indifferenter hic sumendum erit.* Ita hic sumitur, *& hoc modo præsentis tractationis maximè objectum erit.* Etymologia *assignari queat, quâ τὸ esse alicubi ab alicubitate dictum videatur. Veruntamen, τὸ esse alicubi dupliciter sumi possit.* Vel *Concretè pro existere in spatio, ita ab alicubitate tanquam abstractiore formâ Logicè derivationem habeat; Quomodo frigere & calere á frigore & calore denominationem habent:* Vel *abstractè pro ipsâ existentia alicubi, seu relatione & formalitate in spatio essendi, sic coincidit cum alicubitate, neutrumq;*

trumq; ab altero denominationem habet, cum Synonymica & æquipollentia sint. Synónymia *est, quà &* Ubietas *s. relatio ad ubi vel spatium quodcunq; dicitur:* Ubicatio, *quasi in ubi locatio: alicubitas. Quamvis hæc vox ubietatem determinatam & entis finiti quandoq; notet, & ubietas quamcunq; adessendi rationem, terminabilem & interminabilem, signet.* V. s. 3. §. 2. *Interdum & ubi, ut in prædicamento ubi, quod quidam generaliter extendunt ad omne Vbicari, ut & ubi divinum ac infinitũ comprehendat, ut* t. 36. s. 2. *dicetur. Quibusdam interdum localitas dicitur, ut* Alstedio, Combachio, Timplero c. 1. *Sed ubietatem Entis finiti intelligunt. Interdum & præsentia dicitur. Sed accuratè loquendo ab eâ diversam esse* t. 27. 39. 40. *patebit.*

IX. *Nomine discusso* rem ipsam *declarare oportet. Primò quidem, quid sit, dicendum. Postea qualis: Vltimò, quotuplex sit.* Quid sit esse alicubi *vel ubietas essentialis, explicare operosum est, ut omnium transcendentalium naturam accuratâ definitione totaliter adæquateq; explanare difficile est. Ac difficultatem variantes Philosophantium, ut in re difficili, opinationes, quas* t. 32. 33. *ex parte lustrabimus, adaugent. Quàm proximè ad verum alicubitatis indolem exprimere, dicenda sit* Ubietas modꝰ entis actualis internus, secundarius, unitus, adessentiam, habitudinem ac existentiam rei in ubi vel spatio notans, quà adesse in Ubi concipitur, explicatur, & denominatur.

X. *Vt evidentiùs natura rei, quam tractamus, patescat, explicandæ sunt singulæ voces, quibus circumscribitur natura alicubitatis. Damus aliquid, quod per analogiam generis & differentiæ vicem sustineat, cum in Transcendentalibus rigida genera ac differentias prædicamentales frustra requiras.* Ex genere dicitur modꝰ internus, secundarius, unitus. Modi *vocabu-*

cabulum hic non notat respectum nominalem vel æquivocum, quomodo hoc vel illo modo vocem sumi dicimus: nec contractionem ad certum statum, & determinatiorem essendi rationem, quomodo subsistentia, personalitas, inhærentia, rationalitas, modi dicuntur: Nec *determinationes ens denominantes sine reciprocatione, ut cum ente non retrocurrant, quomodo finitum, dependens, causatum, modos entis dicimus, qui cum ente non reciprocantur: non enim licet dicere, Ens est statim finitum, dependens, &c. Cum & alterum membrum Entis adsit, infinitum, independens, &c: Et quomodo affectiones Entis modis contradistinguere solemus: ut modi quidem denominent Ens, sed attributa vel affectiones simùl retrocurrant cum ente, & convertibiliter illud denominent. Vt omnis affectio entis sit modus, non autem vice versâ omnis modus affectio, cum non omnis sub reciprocatione ad* Ens *dicatur: Sed generaliter quamcunque afficientiam intimè rei naturæ competentem, eamque ut consequens quoddam necessarium afficientem & denominantem. Definiri potest* modus, attributum entis realis, naturam ejus intimè determinans, inseparabiliter ei competens, & transcendentaliter, tanquam conceptus generalissimus, illud denominans. *Dicitur & affectio, passio Entis. Nam* & *rei esse consequitur, ut affectio solet: & conceptus Entis ut subjecti, prior est conceptu modi, ut affectionis:* & *formaliter ab Ente est distinctus, ut affectio à suo subjecto, etsi materialiter & realiter cum eo idem sit:* & *rem determinat ac denominat, ut affectio certâ qualitate subjectum determinat, ut tale vel tale inde denominetur: & ratione materialis cum subjecto suo reciprocatur, quomodo affectio propria cum subjecto reciprocari solet, ut homo & docilis, docile & homo.* Dicitur modus attributum. Attributum est perfectio vel competentia aliqua in secundo conceptu rei tribuenda, & de illâ enuntianda. *Principiò*

in creaturis vox attributi dicta, omniaq; rei accidentia attributa vocata sunt, quæ rem in se & essentialiter perfectam accidentaliter perficerent. Vt sapientia hominis, color leonis. Postea ulteriùs extensa est etiam ad divina, & attributa in Deo dictæ omnes perfectiones, quibus à posteriori essentiam divinam inadæquatè apprehendimus & describimus. Vt justitia, misericordia, bonitas, sapientia divina. Interdùm & ea generaliter attributa dixerunt, quæ etiam quidditativè *de Deo concipimus & enuntiamus. Vt ens, spiritum, substantiam, essentiam. Potiore tamen significato omnia ea attributa sunt dicta, quæ velut à posteriori & ut non quidditativa prædicata rei cōpetere concipimus, itaq; de eâ enuntiamus. Hoc modo & attributa Entis dicimus, quæcunq; Entis naturam consequuntur, & ut perfectiones supra essentiam quidditativè conceptam ei inesse intelliguntur ac denominantur. Sic perfectio, unitas, veritas, bonitas, duratio, finitio vel infinitio, causalitas vel effectualitas, Necessitas vel contingentia, attributa Entis dicimus, quia perfectiones consequenter Enti competentes sunt, illud afficiunt, & denominant. Hac ratione* & omnis modus entis est attributum, *i.e. perfectio & competentia aliqua Enti in secundo conceptu conveniens, & consequenter de eo enuntiabilis.*

XI. *Dicitur porrò,* attributum Entis realis. Entis, *i.e. ejus, quod esse habet, vel ipsa essentia est. Vt & creatis rebus modi competere intelligantur, quæ essentiam habent, ac in quibus esse & essentia differunt, saltem secundùm rationem & conceptum aliquem: Et increatis, & in quibus nullâ ratione esse & essentia differunt, sed quorum esse est ipsa essentia, & essentia ipsum esse, quales sunt Deus, Esse divinum, &c. Modi utriq; rerum generi competunt. Sic in divinis sunt modi, personalitas, causalitas, bonitas, simplicitas, necessitas,* in*dependentia. In creatis, substantia, inhærentia, dependentia, contingentia, unitio-*

tio. Realis, *ut excludantur Entia rationis, ficta, impossibilia, privationes, negationes, rationes Entis, & modalitates, non ipsa formaliter Entia.* Modi non sunt attributa Entis in universalissimo *& praecisissimo conceptu, quatenus abstrahit à reali & rationis, positivo & privativo, actuali & potentiali, ente & modo entis, & indifferenter in utroq; esse intelligitur: Sed ut est* in statu restricto & determinato, *ac contrahitur ad esse reale,* actuale, *positivum, & fundamentale, quod modo suo contradistinguitur.* Reale, *quod realem naturam habere intelligitur. Ita unum, verum, perfectum, causam vel causatum, finitum vel infinitum esse, non tribuitur entibus rationis, fictis, aut impossibilibus. Sic nemo Syllogismum, epistrophen, Dactylum, aliaq; rationis figmenta unum, perfectum, causam vel causatum, dependens vel independens, finitum vel infinitum dicet. Nemo Chimaeram, Cerberum, attributis transcendentalibus insigniet, quia non entia illa & impossibilia.* Attributa autem entis pro entibus sunt, non pro non entibus, *qualia ficta & impossibilia sunt: Et haec quidem nec essentiam habent, nec habere possunt, ut nonnisi inaccuratè inter attributa Entis* impossibilitas *numeretur à* Timplero 2. Meta. c. 7 *Rectè à* Goclenio not. *ad* illum locum *castigato: Et* Reyero d. 1. marg: Phil. t. 493. Quem *rectè castigavit* Caselius d. 5. Meta. con: Reyerum t. 49. *Traditur quidem* in Metaphysicis *& de ente rationis: sed non quasi alterâ & directâ entis specie, quaeq; caetera ac realia entis attributa participaret, ut de eo illa enunciare liceret: Sed ut de* membro aequivoco, in oppositione ad verum Ens, ut non ens & figmentum esse intelligatur, nihilq; verorum entis attributorum participare cognoscatur. Quidquid ergò modos habere debet, ens in statu personali, non simplici, restricto, non indifferente, exercito, non signato, reali, non notionali esse debet. *Ita DEum & creaturas*

aturas causas vel causata, finita vel infinita, necessaria vel contingentia, & similia dicimus. Vltrà de cæteris entibus ista attributa non enuntiantur.

XII. Actuale, *quod essentiam actu jam existentem habet. Solet inter alia in Metaphysicis ex contractioribus essendi modis ens in Ens actu & potestate dividi. Sed attributa entis primò & directè enti actuali competunt: potentiali, & quod in potestate causarum adhuc latet, vix, aut per accidens saltem & valde secundariò tribuentur. Ita rosam in potestate fruticis sui latentem nemo rigidè veram, unam, bonam, perfectam, finitam vel infinitam, causam vel causatum dicet.* Imbecillis enim valdè essendi modus est, in potentiâ esse: *quiq; non tàm esse aliquid dicit,* quàm ad essendum potentiam aliquam. *Cumq; per additamentum dicitur, Ens potentiale,* additio valdè minuens est, *ut cum embryo homo futurus, animandus, puer Doctor futurus, pauper dives futurus dicitur, quibus non tàm prædicatum inesse subjectis, quàm de futuro inesse posse affirmatur. Vnde de minuentibus istis essendi modis cætera attributa transcendentalia enuntiari non debent. Aut* si quædam de illo enuntientur, *ut esse finitum, causatum, dependens, admodùm remotè, secundariò, & nonnisi ἀναλόγως ea illi attribui credendum est. πρώτως & univocè in rebus actualibus locum inveniunt.* Positivum, quod positivam essentiam extra intellectum habet. *Vt excludantur entia* privativa & negativa, *quæ in naturâ nullum positivum esse habent, sed aliquod illis ab intellectu tantùm suppeditatur. Vt privationes sunt, ut cæcitas, surdities, claudicatio, illegalitas: & negationes, ut non videns, non audiens, &c. His etiam attributa transcendentalia non sunt tribuenda, cum verum esse non habeant,* sed essendi negationem & privationem, *quâ potius carentia esse intelliguntur, & in isto carere esse suum habere dicuntur. Hoc esse*

quia vilissimum, veriusq́; non esse, quàm esse est, indignum censetur, quod attributis transcendentalibus insigniatur, quæ realibus assignare solemus. Ita coecitates, surdities, mortem, malignitates, formaliter consideratas nemo sciens Entia finita aut infinita, causas aut causata, dicturus est.

XIII. Fundamentale ens, *id est, tale, quod reale & materiale fundamentum modorum & attributorum esse possit, & ab illis formaliter distinctum denominationem habere possit. Vt* excludantur modi ipsi & attributa entis, *quæ alios modos attributaq́; à quibus παρωνύμως denominentur, non habent. Sunt enim ipsa affectiones, quæ denominant Ens ut materiale; adeoq́; alias affectiones, quæ ipsa vicissim denominent, habere non possunt. Accidentium enim, ut Philosophi ajunt, alia non sunt accidentia: Ita nec attributorum alia propriè dicta attributa. Nisi in infinitum procedere velimus. Ita unum, verum, bonum, perfectum, non habent alia attributa, aliud unum, verum, bonum,* sed ipsa formaliter sunt talia. *Sic calor non habet alium calorem, sed ipse est formaliter talis, & subjectum suum tale facit & denominat. Attributa entis sunt, in quantùm ens est: modi autem formaliter non tàm ens sunt,* quam entis rationes, vel formaliter, vel interdum etiam realiter ab ente distinctæ. *Vt subsistentia à re subsistente, personalitas à natura intellectuali. Cum ergò in formalitate conceptus sui ens non includant, sed ei contradistinguantur, Vt modi non ens, sed entis affectiones esse dicantur: non etiam de illis prædicari debent, quæ enti in quantum ens est, primò & per se insunt. Ita personalitati, subsistentiæ, inhærentiæ, malè tribuetur finitum vel infinitum, necessarium vel contingens, causa vel causatum, similiaq́;, quæ substantiis, Materialibus modorum, naturis & essentiis competunt, non essentiarum modis & affectionibus. Si interdum aliquid horum de modis enuntietur, ut cum personas divinas infinitas,*

huma-

humanas & angelicas finitas dicimus, vel de personis concretè sumptis, i.e. rebus subsistentibus id est intelligendum, non ipsis personalitatib. & subsistentiis in abstracto & formaliter acceptis: vel δευτέρως & consequenter capiendum; Quatenùs cum essentijs realiter conveniunt modi, inque illis ut fundamentis suis radicantur, non quà formali conceptu illis contradistinguuntur, sic personalitates sunt infinitæ in & per essentiam divinam, cui identificantur, vel finitæ per eandem essentiam, in quâ fundantur, non πρώτως & proximè per sese. Ita quia modi sunt Entia fundamentaliter, quia entis & in ente sunt: consequenter & δευτέρως quædam entis attributa illis assignari queant.

XIV. *Vlteriùs dicitur* modus, attributum naturam entis intimè determinans. *Determinatio hæc non intelligenda ratione specialioris status, ad quem ens velut essentialiter inferius quid contrahatur, quomodo Ens in species suas analogicas dividi solet, substantiam & accidens, quæ membra dividentia etiam interdum modi entis generaliore sensu dici solent, cum strictè non attributa & affectiones, sed species entis & divisiones sint.* Divisiones autem rei in contractiores species, non sunt attributa aut affectiones propriè dictæ. *Nam Ens, ut generalius quid, in suo conceptu συνωνύμως & essentialiter implicant, ut definiendo substantiam aut accidens ens esse dices: Quomodo omne inferius divisum essentiale suum superius in essentiali conceptu implicat, ut animal corpus vivum, homo animal, Petrus & Paulus hominem, &c. Sed modi strictè dicti* in formali conceptu non implicant Ens, sed ei contradistinguũtur, *nec formaliter ens sunt, sed entis rationes & determinationes. Non dices formaliter: Perfectio, Vnitas, Veritas est ens, sed affectio vel modus entis. Non enim afficiunt Ens in formali conceptu essentialiter, sed extraessentialiter, adeoque prædicantur de illo παρωνύμως & denominativè. Imbibunt enim af-*

fectiones & attributa entitatem non formali participatione: Sed reali saltē denominatione. Vnū, verū, bonū, &c. includunt entitatem; Sed subjectivè saltē & materialiter, nō formaliter & abstractè. *Ideò denominare illam dicuntur, Non sunt de essentiâ & formali conceptu Entis, vel non sunt idem, quod ipsum ens conceptibiliter, etsi ens sint fundamentaliter & radicaliter. Sic formale Vnum tribuitur enti non essentialiter, sed denominativè, quà concipitur in ratione indivisionis esse: Boni, quà in ratione appetibilitatis; Veri, quà in ratione intelligibilitatis: Sed quibus in inferiora ut status contractiores dividitur Ens,* essentialiter Entis rationem participant, & in formali conceptu *illud includunt, ut substantia & accidens. Sed intelligenda est ista determinatio* partim *ratione modificationis ad certum respectum*, partim *transcendentalis ad Ens denominationis.*

XV. Ad certum respectum modificationis, *quà ens quod in se absolutum aliquod est, sub modis in certo respectu transcendentali consideretur, vel unitum, ut unitivè modi adæquent Ens, & cum eo recurrant: vel divisim, ut divisivè & oppositivè illud exhauriant.* Unitivè, *sic unum in ente respectum transcendentalem ad indivisionem vel divisionis essentialis negationem impertat: Verum respectum rationis ad intellectum, cui sit conforme: bonum ad voluntatem, cui sit appetibile, ut pluribus in doctrinâ Metaphysicâ modorum disceptari solet.* Divisivè, *sic infinitum respectum dicit essendi sine termino, finitum cum termino. Causa respectum essendi cum operatione & influxu, causatum cum operationis receptione & fieri. Necessitas respectum essendi necessariò: contingentia contingenter dicit. Actus ad modum essendi actualiter seu existendi respectum, potentia ad essendi potentialiter dicit. Idemquè in similibus procedit.* Transcendentalis ad Ens denominationis, *quà modi ens de-*

nomi-

nominant παρωνύμως & denominativè quidem, tamen verissimè, intimè, simpliciter, & convertibiliter seu reciprocè, adeoque adæquatè.

XVI. Denominativè, *quia conceptus formalis attributi non est conceptus formalis subjecti seu entis, sed aliquid præter istum conceptum formaliter, ut* t. 14. *visum.* Verissimè, *quia non finguntur illa aut cogitantur saltem à nostrâ mente, quasi præter cogitari nihil in re essent, sed verè Enti competunt præter mentis operationem. Ita DEus est unus, verus, bonus, causa, independens, infinitus, etiam nemine cogitante. Creaturæ unitatem, veritatem, bonitatem, perfectionem habent, sunt causatæ, finitæ, dependentes, etiam citra ullam cogitationem.* Intimè, *quia non per extra rebus adhærens adjunguntur, accedunt, adhærent, sed internè essentiis earum sunt inclusa. Sic unitas, bonitas, causalitas, non extrà adjacens aut adhærens dicunt, sed modos essentiis rerum inclusos:* Nec ex se *reale discrimen ad subjectum dicunt: sed modale tantùm, formale, & rationis. Essentialiter enim secundùm rem implicant esse, in quo tanquam affectiones sunt. Præcisoq; omni eo, quod ab Ente realiter est diversum, tanquam nova & distincta res, Ens unum, verum, bonum, finitum, causa, &c, dicitur. Sic veritas non est nova res ab ente, enti superjecta: sed idem ens cum respectu ad certam rationem sumptum, conformitate ad intellectum. Et prædicatur hi conceptus attributivi* etiam de Ente simplicissimo *ut DEO, dicitur enim verè bonus, unus, verus, perfectus, causa, infinitus: A quo tamen compositio ex re & re, adeoq; realis entium differentia prorsùs exulat, ut alibi docetur.* Realia sunt ista attributa in ente: sed non realiter diversa ab ente. *Non faciunt aliud & aliud ens: sed alio & alio respectu se habens, alia & aliâ ratione determinatum.*

XVII. Simpliciter, *Quia realem compositionem Enti*

non inferunt, cum non ut novæ res illi attribuantur, sed ut determinationes tantùm, ut antè visum. Ita prædicantur etiam de primo Ente, DEO, à quo compositio realis totaliter removetur. Attributa prædicamentalia *sunt accidentia, adeoq́; novæ res, vocem rei strictè sumendo, & modis ac attributis Entium contra distingvendo, & cum subjectis realem compositionem ex substantiâ & accidente inducunt, ut homo & justitia.* Trãscendentalia *sunt affectiones communissimæ & extraprædicamentales, & tàm rebus increatis, quàm creatis competere possunt. Ex naturâ ergò sui & ut sic, compositionem præcisè non inferunt.* Convertibiliter *seu reciprocè modi de ente, & ens de modis, dicuntur, vel sensu unito vel diviso.* Unito, *ut ens unum, verum, bonum, perfectum:* Et *vicissim, omne Vnum, Verum, bonum, perfectum, est ens fundamentali & materiali consideratione, etsi non formali conceptu, ut* §. 14. *patuit.* Diviso, *ut omne Ens est causa vel causatum, actus vel potentia, finitum vel infinitum, necessarium vel contingens, & vicissim, Omnis causa vel causatum, finitum vel infinitum, &c. est ens: Exhauriunt enim attributa divisa universum ens in totâ latitudine suâ acceptum, sed in divisione simùl accepta: Velut species generis addividentes universam generis latitudinem exhauriunt, sed tota divisione sumptâ. Vt & rationale & bestiale animal, sensatũ & insensatum corpus vivũ, corporale & spirituale substãtiã prædicãentalẽ, &c.*

XVIII. *Dicitur porrò modus,* attributum inseparabiliter enti competens. *Separabilitas hæc intelligenda non respectu rationis aut conceptus, quasi conceptu non possent attributa ab ente separari: Sic enim præcisè ens concipitur sine attributo, & attributum formaliter ut aliquis entis modus, non ut ipsum ens intelligitur, per t. 14. Sed* separationis realis, *quòd realiter ab ente separari non posit, sive sit attributum unitum, sive disjunctum: fundamentaliter semper ens implicat, ut attributum*

tum

sum dari non possit, quin detur ejus materiale & fundamentum, Ens. Sic unum, verum, bonum, ubicatum, &c. dari nequit, quin detur Ens. Ita finitum quid aut infinitum, dependens aut independens, causa vel causatum, similesq́; entis differentiæ nusquam dantur, nisi dato ente, in quo sunt, & cum quo ἀδιαιρέτως cohærent. Sed An per potestatem DEI absolutam attributa entis ab ente separari queant, hac occasione quæri possit? Affirmanti quidam adinclinant, qui fidenter & generaliter asseverant: Quæcunq́; hoō potest separare ratione & notionaliter, ea DEus separare potest actu & realiter. Item: Quidquid mens concipere potest notionaliter, id DEus præstare potest realiter. Ita Petrus Michaël & Sapetus ap. Chamierum T. 2. panst. l 6. c. 4. §. 30. 31. Quidam etiam Nostratium ut ex D. Mentz: c. Martin. p. 364. D. Meisn. p. 1. P. S. s. 1. c. 1. q. 1. Calovio p. 1. Meta. c. 8. t. 6. p. 416. aliisq́; patet. Ex Reformatis Wasius ita axiom. Phil. n. 25. Sed qui tamen variè limitat, & generalitatem circumcidit. Sed vacillare generalitatem istius enunciati ab aliis ostensum est. V. D. Kesierum d. 5. Meta. Phot. th. 2. Homo attributa DEI mente à DEO separare potest, & concipere DEum præcisè, ut spiritus independens et infinitus est: relinquendo, quòd sit verax, justus, bonus, misericors, sapiens, beatus, &c. Illa tamen attributa realiter DEus à se separare non potest. Vt DEus relinquatur, nec tamen bonus, verax, justus, existat. Homo mente separare potest ab homine quantitatem, & præcisè considerare animalitatem, naturam sensitivam, & rationalitatem, naturam ratiocinandi potentem. DEus tamen actualiter quantitatem ab homine separare non potest. Eodem modo de attributis entis dicemus. A separatione mentali & præcisione rationis, ad separationem realem & actualem in re non valet consequentia. Potest homo per rationem considerare ens præcisè, ut Ens in generali ratione est, non attento.

tento, h. e. præscindendo, quale in specialibus statibus sit, an necessarium vel contingens, finitum vel infinitum, causa vel causatum sit. Nec tamen DEus statim de facto Ens aliquod statuere potest, ut isti status ab illo sint separati, ut nec finitum sit nec infinitum, nec causa nec causatum, necessarium, nec contingens.

XIX. *Et ratio, non fieri id posse, liquida est.* Nam quæ realiter sunt unum idemq́;, nec differunt nisi per conceptum & mentis præcisionem, ea realiter à se separari non possunt, qualiscunq́; etiam potestas sit. *Esse enim cum altero idem realiter Contradictionem implicat, si ab eo dicatur separari realiter, hoc est, esse idem realiter, & non idem realiter. Quatenùs enim realiter unum cum altero est, idem ei esse intelligitur: quatenùs realiter separatum esse asseritur, non idem ei esse, sed diversum, intelligitur. Sicq́, evidens contradictio ejusdem cum eodem, eodem respectu, reali nempè, asseritur, quam DEo asserere non potestatem affirmare est, sed imbecillitatem & impietatem, ut alibi ostensum.* D. 1. misc. d. 5. t. 9. *Vera contradictoria enim* ἁπλῶς *& absolutè sunt impossibilia. Ergò non sunt per ullam potestatem possibilia. Contradictorium enim & hoc est, absolutè esse impossibile, & per aliquam potestatem esse possibile, h. e. non absolutè esse impossibile. Quod enim per ullam potestatem fieri potest, alicui potestati est possibile, & sic non absolutè impossibile, quod omni modo & cuivis potestati est impossibile.* Alij & alijs argumentis *enunciati generalitatem infringere conantur, ut quòd propria hominum, animalium, aliarumq́, rerum homo mente possit separare à rebus, ut docilitatem & risibilitatem ab homine, rugibilitatem à leone, mugibilitatem à bove, vim resistendi venenis à rutâ, trahendi ferrum à magnete: Quæ tamen Deus nequeat separare realiter. Quod homo mente locum queat amovere à corpore, non DEus illum realiter separare. Sed hæc quia falsis hypothesibus nixa sunt, nec*

omnibus

omnibus recipiuntur, sed plerisq́ negantur, & argumenta stringendæ potestatis absolutæ habentur, non asserendæ, tutiùs omittuntur, quàm adducuntur. *Firmissima probatio ab generalibus principijs & ab utraq́ parte concessis arcessitur. Specialia in ambiguo sunt, & periculum* τοῦ ἐν ἀρχῇ αἰτήματος *seu petitionis quæsiti important.*

XX. Dices 1. Si intellectus humanus *plura potest separare mentaliter, quàm DEus queat realiter, E. major erit vis intellectus humani, quàm potestatis divinæ. Quod imminuit omnipotentiam divinam, quæ longè efficacior est in agendo, ac intellectus in cogitando, & contra* Ephes. 3. v. 20. *est, quòd DEus superabundanter, quàm petimus aut intelligimus, facere possit.* R. 1. Nego consequentiam. *Si intellectus humanus realiter ea posset separare, & vis divina id non posset, tùm major esset vis intellectus humani, quàm potẽtiæ divinæ, maneretur enim in eodẽ genere actionis, separatione reali. At à separ. cogitationis ad separ: realitatis divinæ potentiæ non valet consequentia, mutantur enim genera actionum.* 2. Si in eadem actione *maneatur, & separatio mentalis humana cum intellectuali divinâ componatur, nulla major vis intellectus humani præ divino erit: Sed hujus multò eminentior. Sic intellectus humanus attributa DEI à DEO, entis ab ente ratione potest separare. Longè eminentiùs per simplicissimam perspicaciæ suæ intuitionem id præstare valeat intellectus divinus, & sic longè sublimiorem vim præ humano obtinet, nisi insignis ab istâ separatione, i. e. inadæquatâ perceptione rei alicujus, intellectui divino imperfectio inferatur, quod quidam censent, de quo alibi dicendi erit opportunitas.* 3. Sensus dicti Ephes. 3. *est, quòd DEus ea possit præstare, quæ noster intellectus judicet impossibilia. Hoc conceditur.* V. d. 5. dec. 1. Misc. c. 9. Sic *intellectus Mariæ judicabat impossibile, virum non cognoscere, & tamen parere. Vis tamen divina id possibile per*

le per singularem operationem statuebat. Luc. 1. *Sed inde non sequitur. E. quæ intellectus noster separat cogitatione, Ea potentia divina separabit actu & realitate. Non enim solùm id intellectus noster pro impossibili habet, tantùm mente separari, & actu ac realiter separari posse: Sed reverâ contradictorium est, taleq́, quod suâ naturâ per nullam potestatem fieri potest.* V. t. 19. *Non ex impotentiâ divinâ, non valente illud efficere, hoc procedit: Sed ex Naturâ objecti, cui repugnat, à seipso actu esse separatum, & unum manere: non autem repugnat, distinctionem aliquam rationis recipere. Illud enim veritatem rei destruit, realiter sibi idem esse, & realiter à se separatum esse, Respicit enim rem ipsam: Hoc non, respicit enim tantùm cogitationem nostram super re, & in esse cogitato separatio aliqua fit, cum in re ipsâ maxima maneat unitas & identitas.*

XXI. Dices 2. Si, quæ intellectus ratione separat, *non omnia possunt separari realiter, E. falsus erit intellectus in illis distinguendis, siquidem nihil in re isti distinctioni respondet. Cui autem conceptui nihil in re respondet, is falsus est.* R. Is conceptus est falsus, *qui aliquid distinguit realiter in reipsâ, & nihil isti rei in re respondet: Non autem, si rationaliter saltem distinguat, & in rationis conceptu distinctionem esse dicat, non rei ipsius constitutione. Id quod in hoc negotio est. Attributa entis ab ente, DEi à DEo, intellectus conceptu distinguens per ratione distingui non dicit aliquid in reipsâ separatum, sed aptitudinem tantùm, quâ distinctè & inadæquatè aliquid concipi possit, & pluralitas per intellectum inferenda ei non repugnet. Sic omnipotentiam, justitiam, misericordiam, distinguit, quia fundamenta distinguendi in essentiâ DEi ad diversa objecta relata, quorum respectu diversimodè operetur, invenit, etsi in reipsâ illa separata non sint, quomodo nec separata esse intellectus asserit. Et sic falsitatem in distingvendo non committit. Sicu-*

num

num, verum, bonum, in ente distingvit, quia entis natura diversas recipere formalitates potest, etsi in re ipsâ attributa illa nec separata sint, nec separari possint. Conf. dec. 1. Misc. d 4. t. lit. 12.

XXII. *Dicitur ad ultimum modus*, attributum transcendentaliter tanquam conceptus generalissimus Ens denominans. Transcendentaliter, *ut intelligatur, denominationes has suprapraedicamentales, & rerum suprapraedicamentalium esse, quales omnia transcendentia & unita & divisa sunt. Aliàs & denominationes affectionum praedicamentalium de suis subjectis dantur, ut cum accidentia propria & communia de suis subjectis dicuntur, quae & denominativè dicuntur, & in compositione praedicamentali accidentis & subjecti dicuntur, tanquam realiter à subjectis suis diversa, non illis identica. Vnde cum subjectis suis non faciunt unum per se, ut ens cum suis attributis, sed per accidens. Vt homo Musicus, animal flebile, docile, Leo rugiens, equus currens.* Denominans, *ut attributum formaliter conceptum, diversum quid ab ente tanquam materiali suo intelligatur, & praedicandi modo paronymico & denominativo, non Synonymico & essentiali, de eo dici debere sciatur. Vnde* magis in Concreto *jubent Authores attributa entis enuntiare, ut, ens est unum, verum, bonum, perfectum;* quàm abstracto, *ens est unitas, veritas, bonitas. Non enim ens est essentialiter & quidditativè ipsa unitas, veritas, bonitas, nec conceptibiliter unitas aut veritas est ipsum ens: Sed consequenter ens est unitas, veritas, i. e. unum, verum: & unitas, veritas, formaliter est affectio entis, non ipsum Ens, quamvis hoc sit fundamentaliter. Vnde* propter identitatem fundamenti & attributi sui licere interdum Authores putant, etiam in abstracto termino dicere, *Ens est unitas, veritas, manente tamen sensu semper concretivo, paronymo, & denominativo. Quâ*

de re in *Apologiâ pro Synon. & paronymo* f. 2. §. 3. *plura egi* Conf. *supra* th. 14. Tanquam conceptus generalissimus, *Ut materia Transcendentalis esse intelligatur, non prædicamentalis, quæ uni ac determinato prædicamento assignari possit. Ita Ens cum attributis suis unitis & divisis nemo determinato alicui prædicamento, substantiæ vel accidenti, assignare poterit, cum indifferenter in universis esse queat.*

XXIII. *Discussa est* definitio modi & attributi. *Facilius jam erit, ex eâ definitionem & naturam Ubietatis notam sistere. Rectè ex generali conceptu eam definiri* modum, ex definitione modi palàm est. *Ejus enim natura aptissimè Ubietati assignatur.* *Nam* & hæc attributum *vel perfectio aliqua Entis realis intimè naturam ejus determinans, inseparabiliter ei competens, & transcendentaliter eam denominãs est, ut ex singulis membris explicatis patere potest.* Intimè naturam entis determinat, *quia verè intrinseca est enti, nec reali discrimine ab essentiâ rei rem denominat. Ubietas â parte rei & materialiter est ipsa entitas cum respectu ad ubi apprehensa.* t. 24. *Prout omnis modus transcendentalis â parte rei est ipsum ens, cujus est modus,* t. 14. Inseparabiliter ei competit, *quia ubicunq; Ens verum & actuale cogitatur, ibi alicubi esse, non nullibi, cogitatur. Quod enim nullibi est, ne est quidem.* Transcendentaliter illud denominat, *quia nec prædicamentale attributum est, quod determinato prædicamento inferri queat: nec conceptu formali ipsa res est, sed attributum rem consequens, & sic παρωνύμως ac denominativè de re enuntiabile.*

XXIV. *Ita Ubietas modus ac attributum entis sit. Sed quia* modi varij *sunt, non ejusdem generis & rationis,* adjectis adhuc alijs vocibus *ulteriùs determinatur, qualis modus sit Alicubitas. Dicitur* modus entis actualis internus, secundarius, unitus, Entis actualis, *ut potentiale excludatur, Quod alicubi*

licubi dicitur esse, ens actuale & existens est, non adhuc in potestate causarum latens. Hoc enim quia imperfectissimum essendi in re modum habet, nec tàm ens est, quàm de futuro esse poterit, attributa entis recipere non dignum judicatur, inter quæ & alicubi esse recensetur. *Nec nisi magnâ quadam analogiâ Enti ficto, rationali, potentiali, &c. attribuentur.* V. t. 11. 12. *Intelligendum autem hic ens actuale indifferenter ad substantiam & accidens sumendo, Vt ubicari modus utriq; competens esse intelligatur; primò quidem & antecedenter substantiæ, quæ πρώτως alicubi esse dicitur: Secundò & consequenter & accidenti, quod ut esse actuale seu existere habet, quanquam non extra subjectum, sed in illo: ita & ubicari in eodem habet. Omnia enim quæ sunt, alicubi esse intelliguntur.* t. 6. *Et desinunt accidentia esse cum substantiâ, ubi ante fuerant. Sic motus localis in moto, cum quiescit. E. & ubi aliquod cum substantiâ illis competit. Et hic ne quidem excipiendum est ipsum* Vbi *accidentale, quod ut prima ubicandi forma in alicubi esse non videtur, nisi in infinitum progredi velimus. Quicquid n. est, alicubi est.* V. t. 53. Modus internus, *quia intimè essentiæ rei est inclusus, nec compositionem realem ei infert, nec reale discrimen ab eâ facit. Vbietas à parte rei & materialis est ipsa entitas spatio alicui præsens cogitata, & sic alicubi esse denominata: Velut duratio à parte rei est ipsa essentia existens, cum permanentiâ existendi apprehensa, & sic durans denominata.* Non differre hæc attributa, *durare & alicubi esse, ab existentiâ* rei realiter, *probatur.* 1. Quia sunt *ipsa existentia rei cum connotatione saltem ad nũc & hic, permanentiam & adessentiam sumpta. Cogitando enim esse durationis nil aliud cogitatur, quàm existentiæ continuatio & permanentia: Esse alicubitatis nil aliud, quàm existentiæ adessentia.* Existentia *manet: nova connotatio saltem ad spatium & tempus accedit. At nova connotatio saltem in re reale*

discrimen & compositionem non importat, quia modus saltem aliquis rei accedens, non nova res fundamentalis est. *Modi autem realem mutationem & differentiam non important, sed aliam tantùm determinationem, quà res non fit alia, sed alio modo se habens. Vt dec.* 1. *Misc. d. 6. t. 15. ostendi.*.

XXV. 2. Si durare & esse alicubi realem *compositionem inferunt, in omni durante & ubicato eam inferent. At non hoc, non enim in DEo, qui etiam durare & alicubi esse intelligitur, quia non est nullibi: Tamen simplicissima ejus manet essentia, omnis compositionis realis expers. Non etiam in accidentibus, quæ similiter durare & alicubi esse intelliguntur, vera enim entia realia & actualia sunt, non nihil. Quidquid autem esse actuale habet, durare & alicubi esse intelligitur.* t. 23. *Manent tamen accidentia puræ meræq; formæ, non ex aliquo, ut reali materiâ, composita.* 3. Quia nulla vera entitas *nominari potest in re, quam duratio & alicubitas rei inferant præter existentiam, ut inde durans & alicubi esse compositum præcisè esse intelligi possit. Tantùm iste modus existentia superjicitur, continuatio & adessentia in Vbi. E. nulla necessitas est, reale discrimen in existentiâ & permanentiâ ac adessentiâ rei constituendi. Ipsum spatium reale, cujus respectu adessentia connotationem habet, ab ente, quod ubicatum esse dicitur, realiter differre potest, quomodo ipsum nunc & tempus realiter à re, quæ in tempore esse dicitur, differre dici potest.* Sed ipse modus internus rei essendi in tempore, *essendi in spatio reali, realem differentiam ad rem præcisè & ut sic, non importat, sed modalem & formalem, quomodo affectio differt à suo subjecto transcendentali, & quomodo conceptus attributi transcendentalis formaliter non est ipse conceptus subjecti, sed diversus, prout* t 14. 21 *patuit. Quoddam esse alicubi speciale, prædicamentale, & quædam duratio specialis, prædicamentalis, & rei creatæ, realiter à subje-*

ctis ubitatis & durantibus differre dici possunt, ut modi acciden-tales, prædicamentales, & accidentia omnia prædicamentalia realiter differunt à substantiâ, in quâ sunt. Et ita Authores fortè intelligendi, qui ubicationes & durationes *realiter à rebus diversas esse volunt, ut* Arriaga d. 14. Phys. n. 4. & d. 15 n. 5. *aliiq; cum illo* c. l. *Vbi durationes non universìm ipsos intelligere patet, quòd DEi durationem excipiant*, n. 40. 41. d. 15. *Sed nunc agimus de esse alicubi generali, quod à prædicamentali præcisum in summâ transcensione & generalitate spectatur ac definitur, Vt* c. 5. *patuit: prout & divinis rebus & creatis ratio ejus communis est. Hoc reale ad subjectum suum transcendentale, Ens, discrimen inferre non debet. Nullus enim modus transcendentalis, in quantum talis, cum subjecto suo aut realem compositionem, aut realem differentiam, infert, Vt in doctrinâ modorum Metaphysicâ ampliùs disceptatur, & alibi contra dissentientes uberior confirmandi fortè erit occasio.*

XXVI. *Dicitur porrò* Ubietas modus secundarius Unicus. Secundarius, *ut distinguatur à primariis. Affectiones Entis in Metaphysicis aliæ sunt* primariæ, *quæ rei statum magis intrinsecum exprimunt, qui arctiùs rei essentiæ sit junctus & complicatus, & esse ipsum dicat. Hæ vel negationem important, & hanc vel divisionis transcendentalis, ut unitas, vel defectionis talis, ut perfectio: vel relationem rationabilem simplicem, & hanc vel ad intellectum, ut veritas, vel voluntatem, ut bonitas:* Aliæ secundariæ, *quæ statum Entis magis extrinsecum dicunt, & respectum ad externum quid important, vel nunc, unde duratio, vel hic, undè Vbietas oritur. Etsi autem respectus ad extrinsecum quid hic sit:* connotatio tamen istius respectus intrinseca & essentialis est enti, *quam connotationem dicit duratio & Vbietas. Et sic isti modi vel affectiones maximè Enti sunt internæ,* V. c. 24. Unicus, *ut distinguatur à modis*

modis divisis. Modi Entis alij sunt uniti *qui sunt attributa generalissima ens solùm sub reciprocâ denominatione modificantia. Et simpliciter atq; conversìm enti tribuuntur. Ita ens est perfectum, verum, bonum, unum, durans, ubicatum. Et vicissim, omne perfectum, verum, &c. est ens:* Alij divisi, *qui sunt attributa ens reciprocè cum oppositi illatione s. disjunctione aliquâ denominantia. Vt ens est vel causa vel causatum, vel necessarium vel contingens. Et similiter nullam compositionem cum subjecto, ente, inferunt, quanquam opposita sibi membra, quia oppositis relationibus sibi mutuò incommunicabilibus constituuntur, ferè realiter à se differunt. Vbietas inter attributa unita est, nullum enim membrum oppositum habet, cum quo disjungatur. Esset enim nusquam. At quod nusquam est, etiam nihil esse intelligitur: Velut omne, quod est, alicubi esse intelligimus.* V. t. 6. *Adeoq; sub simplici unitate cum ente reciprocatur, & illud denominat. Vt omne ens est alicubi, & omne quod est alicubi, est ens. Quomodo & duratio simpliciter unitivè cum eo reciprocatur, ut omne Ens est durans, & omne durans est Ens.*

XXVII. *Explicata hactenùs sunt ea, quæ* vicem generis *in ubietate obtinent* Cœtera ad differentiam *istius attributi pertinent. Ex illâ dicitur modus* adessentiam rei in ubi vel spatio notans, quà adesse in ubi ens denominetur. *Adessentia rei est existentia rei ad spatium qualecunq; in genere. Dicitur spatium qualecunq; indifferenter sumendo: vel spatium verum & reale, vel fictum & imaginarium, vel finitum, vel infinitum.* V. t. 39. 40. *De quovis adessendi modo, quacunq; ratione aliquid alicubi adesse queat, intelligendum est.* Spatium reale est intervallum veri corporis, *cui aliquid adesse potest. Vt in mundo, omnibusq; mundanis corporibus & spatiis est.* Imaginarium est cogitatum aliquod intervallum *extra mundum & mundana corpora aut in vacuo & creati alicujus experte conceptum. Hoc verum Ens non est, sed ejus tantùm conceptus. Concipitur acsi esset ibi spatium, cum reverà nihil sit. Adeoq; nec creatum quid est, hoc enim in mundo est: nec increatum, hoc enim extra mundum reale & positivum quid est, ut DEus, personæ divinæ. Spatium autem imaginarium, nec reale nec positivum est, sed nihil & ens rationis. Cogitata aliqua Entitas ipsi ab intellectu tribuitur, etsi in se reverà nullam habeat.*

)*+*(

DE ESSE ALICUBI
EXERCITATIO SECUNDA.
De competentijs Ubietatis.

Resp. JOHANNE FABRICIO Dantiscano Borusso.

THESIS XXVIII.

DE spatio Extramundano *diversi sunt Authores*. Quidam, ut Conimbricenses 8. Phys. c. 10. q. 2. a. 4. Fonseca l. 5. Metaph. c. 13. q. 7. s. 1. & alij *spatium extra Universum non omnino imaginarium & merum ens rationis esse volunt, quòd in illo corpora recipi possint, si à DEO extra universum crearentur. In quo autem aliquid recipi possit, non esse merum ens fictum, sed habere aptitudinem ad Ens reale.* Dici autem imaginarium, *non quòd ex imaginatione nostrâ pendeat; sed quòd non vera & realis quantitas dimensiones habens sit, sed quòd eas in spatio proportione quadam realibus corporum dimensionibus respondentes imaginemur.* Alij tamen verum nihil merumq; Ens rationis illud statuunt, *fictum ab intellectu ex similitudine cum spatio reali, ut* Suaretz d. 30 Meta. s. 7. n. 15. 16. Arriaga d. 14. Phys. s. 3. n. 63. 70. 71. Mendoza d. 14. Phy. s. 2. n. 13. Scheibler. 1. Meta. c. 17. n. 15. Calovius c. 8. Meta. gen. §. 1. alijq;. *Et rectiùs. Nam* 1. Inter Ens reale & rationis nullum datur medium. *Hoc spatium non est ens reale, esset enim substantia vel accidens. At neutrum. Non substantia, non enim existere absolutum & subsistens habet. Non accidens, quia vacuum esse creditur, in quo corpus nullum sit, esse tamen possit. Vacuum autem non est ens reale, sed ejus carentia.* 2. Quod nullam entitatem habet, nisi quam ei tribuit intellectus, id jure Ens rationis dicitur. *In eo enim formaliter Ens rationis consistit. Non præcisè, quod fingatur per intellectum. Sic enim*

nim cæcitates, surditiex, claudicationes, similesq; privationes sunt entia rationis, non tamen finguntur per intellectum, cùm in subjectis suis cæcis, claudis, surdis, sint, etiam nullo intellectu de illis cogitante. Sed aliam entitatem non habent, nisi quam illis assignat intellectus, negationem nempè habitus aut potentiæ, in quâ negatione esse suum privativum ipsas habere dicit intellectus. Sed spatium imaginarium extra universum nullam entitatem habet, nisi quam ipsi intellectus tribuit. Amotâ enim mentis operatione Ens reale esse negatur, adeoq; Entitatis attributio realis in ipso non est, sed notionalis & imaginaria. E. jure Ens rationis vocatur. 3. Hoc spatium *concipitur fuisse ab æterno, & esse extra supremum corpus mundi, qualecunq; illud sit, s. cælum Empyreum, s. aqua supercælestis, de quo alibi* c. 4. §. 11. *sed ab æterno nihil reale fuit productum, nec extra ultimum corpus aliquid creditur esse productum; etsi à DEo produci possit. E. spatium illud reale non est, & consequenter cogitatum.*

XXIX. *Variæ sententiæ opponi possunt, quorum aliqua ob firmiorē sententiæ nostræ veritatē removenda.* Dices 1. DEus aliquid *in illo creare potest. E. non est merum nihil. In nihilo enim aliquid fieri non potest. R. Negatur consequentia. Ante mundum nullum spatium reale fuit, sed purum nihil. DEus tamen in eo chaos primi diei, & consequenter materiam omnium mundanorum creavit. Sic si DEus aërem cæteraq; inter cælum ac terram interjacentia annihilaret, esset ibi vacuum & spatium imaginarium. Nihil tamen prohiberet, quo minùs DEus in illo corpora crearet, utut nihilum esset. Sic DEus ante mundum conditum ubiq; per immensitatem essentiæ in infinitis spatiis imaginariis fuit, inq; illis aliquid formare potuit, si voluit, etsi nihil reale ei coexstiterit.* 2. Ubicatio dicit respectum *ad spatium imaginarium. Sed Ubicatio est modus realis. E. & ejus terminus, quem respicit, realis est. Nam quod Ens rationis*

pro

pro termino habet, & ipsum respectum rationis habebit, & sic ens rationis erit. R. *1.* Non semper *relatio transcendentalis, qualis in Vbicatione est, terminum realem requirit, sed sufficit notionalis & nihil interdum. Sic DEus, ut ubicatus, ante conditum mundum respectum habuit ad spatia infinita imaginaria. Hæc autem ficta tantùm sunt. Sic inter Ens reale potest relatio transcendentalis ad chimæram, Centaurum, esse. Quæ tamen non realia & positiva, sed ficta. Sic inter affectationem Caligulæ & Phaëtontis aut Icari relatio transcendentalis esse potest, convenientia vel similitudo aliqua, alter tamen terminus fictus tantùm est, Icarus aut Phaëton. Ampliùs* in Metaphysicis *hæc disquiruntur.* 2. Ubicatio non *pendet reipsâ à spatio imaginario, ut à termino relativo, à quo esse suum habeat, ut vera relativa à terminis suis correlatis totum esse habēt: Sed explicatur saltem* per ordinem ad spatium imaginarium, *quia nos aliter essentiam τῦ esse alicubi nec concipere, nec explicare valemus. Res in spatiis imaginariis ubicatæ reales suas habent ubicationes, quibus relationes distantiæ, remotionis vel propinquitatis fundant, quas nos nisi per ordinem ad spatium aliquod explicare non possumus. Inde per spatium, atq; ordinem ad illud, Vbicatatem explicare cogimur, ut maximè illud non semper sit reale.* V. t. 27. *Adessentia Entis in spatio est realis: & ratione ejus fit, ut ubi ens adesse dicitur, Ibi spatium aliquod cogitetur, quod sine ente ibi existente nihil esset. Ipsum spatium reale quid esse, & modū hunc, quem ubicatatem vocamus, velut reali termino respicere, nihil est necesse. Sic creationem, gubernationem Dei per ordinem ad creaturas describimus. Nec tamen DEus essentialiter à creaturis velut terminis constituentibus, dependet, quamvis eas respiciat, & terminationem transcendentalem ad illas habeat. Quidam ubicationes entia absolutissima esse disputant, perinde ac albedines aut nigredines, adeoq; nullum ordi-*

nem ad spatium dicere necessum habere, de quo t.35. videbimus.

XXX. Dices 3. Spatium imaginarium *est negatio corporis in illo, vel ubicandi possibilitas in eo, vel capacitas recipiendi ubicationem in illo, vel simile quid. At hæc omnia sunt in rebus ante intellectum, & sic realia, non entia rationis. Sic negationes, privationes, sunt entia privativa, & ante operationem intellectus in rebus, etiam nemine cogitante.* R. Nihil horum *est spatium imaginarium. Non negatio corporis in illo, quia negatio non cohæret vel consistit cum formâ negatâ. Sic negatio albedinis non consistit cum albedine. Sed negatio corporis consistit cum spatio imaginario. Extra mundum est spatium imaginarium, etsi corpus esse ibi negetur. Sic ante mundum spatia infinita fuerunt, negationes tamen corporum in illis fuerunt. Hæ ipsa spatia non destruxerunt. Ita spatium imaginarium nec est ipsa præcisè negatio corporum in illo, nec positio, sed ut hic spatium sumitur, est indifferens ad utrumq́. Creet DEus in spatio extra orbem universi corpus, erit positio corporis in spatio isto imaginario: Annihilet idem corpus, erit negatio corporis in illo: spatium ipsum imaginarium unum idemq́ manebit. Nec spatium istud est ipsa ubicandi possibilitas, quamvis non repugnet ei. Nam illa vel in ubicante est, ut DEO, qui ubicare potest ibi corpus; vel in ubicatâre, quæ in spatio imaginario ubicari potest à Deo; prout passivè aut activè eā sumas. Et possibilitas ubicandi explicatur per ordinem ad spatium imaginarium. E. non est ipsa ubicandi possibilitas. Nec est capacitas ubicationem recipiendi, hæc enim est vera & actualis potentia in re ubicandâ: quæ distincta est à spatio imaginario, ut internum quid ab externo, inexistens ab circumstante. Corpus vel res capacitatem ubicationis habet in spatio imaginario, non spatium est ipsa capacitas. Et capacitas ubicandi similiter explicatur per ordinem ad spatium imaginarium, est enim habitudo, quâ aliquid in tali spatio ubicari potest. E. non est ipsum spatium.* XXXI.

XXXI. 4. Non potest aliquid esse *in nihilo. Nihil enim cum non ens sit, nulla attributa aut prædicata admittet, qualium aliquod est, in ipso esse aliquid. Spatium imaginarium est nihilum. E. nihil in illo esse dici potest. R. Non potest aliquid esse in nihilo sc. simpliciter, quod nec esse habet, nec cogitari potest, quasi habeat. Hoc enim est merum & purissimum non Ens & nihilum. Et ut nullum prorsùs esse habet, nec reale, nec notionale: Ita nec attributa aut prædicata ulla admittit. Sed spatium imaginarium etsi sit non ens in re, aliquid tamen est in ratione, quia per modum spatij suprà ultraq; mundum cogitatur. Tale non ens prædicata quædam admittere potest. Sic privationes entia rationis sunt, affectiones tamen quasdam & prædicata admittunt. Vt esse miserabiles, molestas. Admittunt propositiones, affirmationes, negationes, divisiones de illis. Sic Syllogismus est ens rationis: multa tamen prædicata admittit. Sic & spatium imaginarium, posse in eo aliquid ubicari, extra orbem hunc esse, Etc.*Deinde *& in nihilo aliquid ubicari posse non est absurdum. Sic scriptura terram in nihilo fundatam asserit.* Job. 26. v. 7. 5. Ubi habet virtutem attractivam & conservativam sui ubicati. *Sed nihil & Ens rationis nullam virtutem habent: E. ubicatio in spatijs imaginarijs fieri non potest. R. Nullam virtutem ex se & in se habet ubi, sed communi errore hæc interdum locis & ubi tribuuntur. Locus, ubi, alicubitas, nec agit aliquid, nec conservat, nec attrahit ubicatum, ut sic & præcisè,* V. c. 33. *Sed tralatitiè & metonymicè interdum illa ubi tribuuntur, quatenùs res competenter ubicatæ benèse habere, incōpetenter malè creduntur. Sic terra inter se & cœlum interjici spatium ignis & aëris velut desiderat, quâ ratione ubicatio ejus in imo conveniens censetur, ex eaq; centrum universi dicitur, spatiumq; ejus, quod occupat, velut attrahere eam & conservare putatur, quod in illo loco existens convenientem sibi influxum*

fluxum cœli & proportionalem ab omnibus cæteris mundanis corporibus distantiam obtineat. Si secus ubicata sit, non illa ita convenientia experiretur, nec competens universi centrum crederetur. Inde illa τῷ Ubi attributa efficacitas. Confer f. 4. §. 14. 15. 6. Si in spatijs imaginarijs aliquid esse dici potest. *E. & poterit dici in privationibus, ut cæcitatibus, surditatibus, nam & hæ entia imaginaria & rationis sunt. At hoc nemo adhuc dixit, & si quis diceret, non feretur. E. nec illud dicendum.* R. Est dispar ratio. 1. Quia *privationes non dicunt respectum ad spatium aliquod, ut ubietas; sed tantùm negant habitum in subjecto capaci, & in illo negare sistunt. Sed ubietas connotationem ad spatium dicit.* 2. Quia *privationibus non competit aptitudo ad recipiendum aliquid: Sed spatijs ea competit. Unde DEus in spatijs imaginarijs esse dici potest, in privationibus esse non potest.*

XXXII. *Ita* visa dêfinitio & formale τοῦ esse alicubi, *in quo maximè verè consistere dici queat.* Removenda jam nonnulla sunt, *in quibus consistere ab alijs censetur, nec tamen verè consistat.* 1. Ubietas non consistit formaliter in denominatione merè extrinsecâ, vel ab actu quodam, *ut cum paries dicitur visus, Musica audita, calidum tactum:* Vel à coexistentiâ alterius, *ut cum Petrus columnæ est dexter, sinister. cum sedere ad dextram aut sinistram alicujus quis dicitur. Nam* 1. Ubietas *est intima entis affectio, ens ut ens est, consequens.* t. 16.24.25. *Externum autem & accidentarium intimam rei naturam determinare non potest. Denominationes autem externæ sunt accidentiales rebus, ut parieti, visum, tactum, esse, homini, esse aliquem illi dextrum aut sinistrum.* 2. Remoto omni extrinseco *res adhuc intelligitur in suo Ubi esse, ut DEus ante mundum conditum, Chaos primi diei creationis, corpus extremum mundi, quæ alia externa circumjacentia non habent. Alicubi tamen sunt; quia non nullibi sunt.*

XXXIII.

XXXIII. 2. Vbietas formaliter non consistit in operatione transeunte, *ut de spirituum ubietate sensisse* Capreolus, Thomas, Cajetanus, Ferrariensis, *aliiq́ dicuntur* ap. Fonsec: 5. Meta. c. 15. q. 9 s. 3. *Quanquam* Suaretz *eos cum cæteris conciliare nititur, qui contrarium senserunt,* d. 51. s. 4. n. 26. *Nam* 1. Ubietas *à parte rei est ipsa essentia rei.* t. 24. 25. *Operatio a. transiens in finitis rebus non est ipsa essentia rei, sed realiter diversum quid ab essentiis rerum, abesse enim potest à re.* Et variari potest operatio rei, non variatâ ubietate. *Sic si in eodem ubi angelus sibi uniat corpus, aut dimittat. Variari etiam potest ubietas, non variatâ operatione. Sic si Româ Neapolim transeat, & in eadẽ corp. calefactione permaneat. In ente infinito etiam Vbietas non est formaliter ipsa operatio transiens. Nam DEus ab æterno ante mundum conditum alicubi fuisse in spatiis imaginariis infinitis in seipso intelligitur. In operatione transeunte tamen non fuit. Similiter extra mundum infinitis spatiis imaginariis adesse dicitur, nullam tamen ibi operationem transeuntem habet.* 2. Ubietas est comes necessarius omnis entis actualis, in quantum Ens est. *Quod enim nullibi est, nec est. Operatio transiens non est comes necessarius entis, quà Ens est. Multa enim sunt entia, quæ transitivè non operantur, ut materia, quantitates, figuræ, conformationes, habitudines, relationes, durationes, & similia. Quæ, ut sic, operationum verarum transeuntium non sunt capacia. E. operatio transiens non est formaliter ipsa Vbietas.* 3. Antecedens rei requisitum non est illa res, cujus est requisitum. *Vbietas & adessentia est antecedens requisitum omnis operationis transeuntis. Prius enim rem adesse & præsentem esse oportet vel contactu materiali, vel virtuali, quàm operari intelligatur. Nec ulla res transitivè operari intelligetur, nisi prius adsit & præsentiã habeat vel indistantiæ & realem, vel efficaciæ & habitudinalem, ut distinctionis*

nis

nis gratiâ vocari potest, de quo t. 40. seq. *plura. E. ipsa operatio transiens esse non potest.*

XXXIV. 3. Ubietas formaliter non consistit in ipso spatio, cujus respectu definitur. *Nam spatia sæpè sunt imaginaria & entia rationis tantùm, non realia. Vt in Chao ante creationem cæterarum rerum, DEO ante creatum mundum, & eodem extra mundum existente. Sed Vbietas semper* est modus realis in re, *verissimè rei ex ordine ad spatium conveniens: non per solam mentis operationem esse habens. Entia autem rationis formale eorum constituere nequeunt, quæ sunt entia realia.* 4. Neq; ubietas generalis & indifferens ad creatum & increatum in ubi prædicamentali consistit. *Hoc enim* 1. In accidente reali prædicamentali consistit, *adeoq; cum suo subjecto compositionem prædicamentalem accidentis & subjecti facit. Est enim accidens, secundùm quod aliquid præsens est spatio reali & finito. At nostra ubietas nec accidens prædicamentale est, sed modus & attributum transcendentale: nec compositionem prædicamentalem Vbicato suo infert, Nam & DEO & accidentibus, & ipsi Vbi prædicamentali competit, quæ non composita.* V. t. 5. 17. 24. 2. Est modus ex naturâ rei distinctus ab essentiâ rei ubicatæ, *sive spiritualis sit, ut in angelo, sive corporea, ut in homine, animali. Est enim aliquid, quod acquiri & amitti potest per realem modum inhærentem ipsi, salvâ manente ipsâ substantiâ, in quâ acquiritur aut amittitur. Sed quod tale quid est, ad minimum ex naturâ rei differt à substantiâ, in quâ est. Sed ubietas transcendentalis non præcisè ex naturâ rei differt ab esse, sed formaliter saltem & conceptivè, ex Naturâ rei est ipsa essentia entis,* t. 24. 25. *Ita in DEO attributa & consequenter alicubitas, non differunt ex Naturâ rei ab essentiâ, sed ratione tantùm, ut alibi ostensum.* Dices: Ubi prædicamentale etiam DEum comprehendere potest, *Nam is est*

ubiq;

ubiq; seu in omnibus spatijs. E. & alicui spatio est præsens. Sed præsentia alicui spatio est ipsum Vbi prædicamentale. E. hoc generale est, & cum ubietate convenit. R. Præsentia ad spatiū est *Vbi prædicamētale, sed* quæ accidens quoddam subjecti sui est, *non autem quæ modus transcendentalis & essentialis est. Accidens autem DEO non tribuendum. Et sic nec præsentia accidentalis, quæ Vbi prædicamentale constituit. Sic etsi DEus omnibus locis & Vbi prædicamentalibus adsit: non tamen ubi ipsum prædicamentale est ei tribuendum. Sic etsi per omne tempus DEus perduret, durationis tamen accidentalis mensura, quæ tempus est, ei non tribuitur.* Deinde *præsentia ad spatium scil. determinatum & definitum est Vbi prædicamentale, ut plus uno spatio substantiæ prædicamentali unâ vice tribui non possit. Et si substantia aliqua in pluribus Vbi simùl statuatur: jam prædicamentalis ubi ratio transcenditur, & eminentius quid assignatur. Prout de corpore Christi ejusq; ubi per fidem scimus, & statuere solemus, de quo* sect. 2. §. 27. 28 *videbitur. Sed DEI præsentia non est ad definitum spatium, sed in ōnibus indefinitè, undè ubiq; esse dicitur.* Cōfer sect. 2. §. 39. 40.

XXXV. 5. Neq; ubietas est accidens absolutissimum in re ab omni respectu, æquè ac albedines aut nigredines sunt. *Ita hic sentit* Arriaga, *Vbicationes in re tàm absolutas esse, ac albedines vel nigredines. Nos autem, quia non possimus nominibus proprijs illas distingvere, in ordine ad locum imaginarium eas distingvere, dicereq;,* de essentiâ hujus ubicationis esse, esse hic, de illius, illic existere. Quod in re nihil aliud est, quàm dicere, de essentiâ hujus ubicationis esse, fundare tantam vel tantam distantiam, sicut albedo à seipsâ habet constituere album, non nigrum aut dulce, *sine ullo respectu ad connotata diversa: Ita hæc ubicatio seipsa habet constituere hominem taliter præsentem, & non alio modo, quod*

vocamus esse hic, ut sunt ejus verba d. 14. Phy. s. 3. n. 64. *similia* s. 2. n. 49. 50. *habet. Si absolutum dicatur, quod respectum præcisè prædicamentalem excludit, nec accidens prædicamentale ex Naturâ rei à subjecto diversum introducit, fatemur, Ubietatem absolutum quid esse*, cum Suarezio d. 51. Metaphy. s. 1. n. 13. *Relatio enim prædicamentalis ad rem ut* ad terminum realem extrà coexistentem *hic non est. Nec hic accidens prædicamentale præcisè requiritur.* V. t. 34. Si illud, *quod omnem ordinem omninò & connotationem ad aliud quantumvis transcendentalem, dicat, modumq; aliquem transcendentaliter subjectum suum afficientem negat, negamus Ubietatem absolutum quid esse, siq; opposita & communis sententia*, Ubietatem modum quendam respectivum *dicens, probabilior est, patetq;* 1. Quia *nequit definiri aut concipi Ubietas, non mentione habitâ ad spatium aliquod. Ponatur enim verus & adæquatus conceptus essendi alicubi, habitudine universâ ad spatium qualecunq; ademptâ. Non poterit dari. Sed quod sine ordine ad alterum adæquatè definiri nequit*, omninò respectum quendam ad aliud essentialiter importat, *sive prædicamentalis jam ille sit, sive transcendentalis. E. & ubietas respectum aliquē involvit, & sic non est absolutum quid.* 2. Modi *definitio Ubietati competit, Ut t.* 23. *patuit. Modus autem omnis transcendentalem respectum ad ens dicit, cujus est modus, nec est quid absolutum. E. Similiter Ubietas rectè respectum dicit. Et hæc adhuc magis, quia respectum ad externum quid, spatium, involvit.* 3. Si ubietas est quid absolutum, *ut calor, frigus, albedo, nigredo, E. erit ens aliquod directum & fundamentale, modis contradistinctum. Præassumitur enim esse transcendentale quid. ex* t. 5. *At hoc non, quia tale ens admittit modos & attributa de se. Ubietas non, nec licet dicere, Ubietas est unum, verum, bonum, ubicatum quid. Non enim attributorum alia sunt attributa,*

nisi

nisi in infinitum procedere velimus, quomodo nec accidentium alia sunt accidentia. V. t. 13. 4. Si Vbicatio est res absoluta, ut albedo, nigredo, & nullum prorsùs respectum ad aliud involvit, E. & ipsa admittet Vbi, & alicubi esse dicetur. Hoc enim de rebus absolutis dicere licet, quòd sint alicubi. Vt homine, calore, frigore, albedine, nigredine. Sed Vbicatio non est alicubi, procederetur enim in infinitum, Et esset Vbi in alio ubi, hoc rursus in alio, sicq; sine fine. At hoc absurdum. E. & prius, ubicari absolutum quid esse. 5. Quod Ens in se absolutum facit ens ad hic & nunc determinatum, id rectè modus aliquis respectivus dicitur. τὸ hic enim, illic aut ullibi, respectum ad spatium, τὸ nunc ad tempus, ævum, aut simile quid importat. Sed ubicatio facit Ens in se absolutum adesse hic aut illic, aut ullibi, aut ubiq; determinatum. Ens est essentiâ præditum. Quando ubicatum dicitur, hic aut illic, aut ullibi existere intelligitur, non ampliùs in illâ absolutâ ratione tantùm relinquitur, essentiâ esse præditum. E. rectè modus respectivus dicitur.

XXXVI. Dices 1. Sistitur processus in infinitum per Unionem Ubicationis ad suum subjectum, quâ unitur Petro aut Paulo, ut aliâ ubicatione non indigeat, quâ respiciat spatium. Non enim ipsa ubicatio se præsentem sistit in spatio, sed subjectum suum, cui unitur. Vnitâ ergò illâ ad subjectum omnis processus infinitus aufertur. R. Unio processum infinitum non tollit: Sed adjunctum saltem infert certo subjecto, ut illud tale vel tale ab adjuncto denominetur. Sic albedo parieti unita facit ex pariete non albo album, nigredo nigrum. Sed ex eo non infertur, albedinis aut nigredinis non posse aliam esse nigredinem & albedinem. Sed quod ultimatæ formæ sint, alijs dantes denominationem, non prius quid habentes, quo constituantur. Ex eo sequitur, albedinis non esse aliam albedinem, quia ipsa ultimata forma album esse dans est, non aliam formam habet

bet, per quam sit alba. Similiter ubicatio processum infinitũ tollit, quia formaliter ac ultimò id est, per quod aliquid est alicubi, i. e. ipsa formalis ratio alicubi essendi est, *alium modum, quo sit alicubi, nõ admittit.* Sicut abstracta ultimata & supremæ formæ non alias admittunt formas, per quas sint, quod sunt, sed formaliter sunt tales, & talia denominant sua subjecta. *Sic calor non per aliud quid est calor, sed ipsa ultima calefaciendi forma, à quâ subjectum calidum denominatur. Vltimæ enim formæ nec alias formas admittunt, nec supra seipsas reciprocantur. Sic calor non alium habet calorem, nec ipse est calidus, sed formaliter omnia subjecta sua facit calida.* Conf. t. 13. 28. *Iam si ubicatio esset absolutum quid, & in formalitate suâ adessentiam ad spatium aliquod non involveret, quæro, per quid tandem eam importaret? Dicendum erit, per aliud ubi, hoc rursum per aliud, & sic processus in infinitum omnino consequeretur. Quem ut præcaveamus, ubicationem non per aliud adesse ad spatium dicere asserendum est, sed* formaliter & ultimatè ac in definitivo conceptu ipsum modum talem, præsentiam ad spatium vel essendi in spatio *exprimentem esse dicendum, & sic formaliter respectivum aliquod transcendentale esse, non absolutum, consequitur.*

XXXVII. Dices 2. Si albedo, nigredo, per seipsas absolutè possunt sua subjecta constituere alba, nigra, non *autem dulcia aut gravia, sine ullo respectu ad connotata diversa, cur non æquè ubicatio per seipsam absolutè suum subjectum hic aut illic statuere & denominare possit, non per respectum aliquem, aut alium modum, qui dicatur esse hic vel illic. Par enim horum est ratio, nec major in albedine aut nigredine est, ut per eam respectivum quid importetur, quàm ubicatione. E. & ubicatio statuenda est absolutum quid.* R. Aliud est, per seipsum aliquid facere: aliud, absolutè & citra omnem respectum

ctum id facere. *Omnia accidentia per seipsa faciunt talia sua subjecta, & denominant, non per alia, sunt enim ultimæ formæ esse dantes subjectis, non ab alio priori illud accipientes*, V. t. 36. Sed non omnia absolutè faciunt sua subjecta talia, sed quædam sub certo respectu. *Sic relationes primò & per se relata faciunt subjecta sua: totum tamen esse eorum respectivũ est, non absolutum. Sic paternitates, maternitates, filiationes, herilitates, servitutes, &c. Sic ubicationes per se subjecta ubicata faciunt, non per aliquid prius seipsis. Tamen respectum involvunt ad spatium, sine cujus involutione concipi aut explicari nequeunt. Et in hoc differunt ab absolutis rebus, ut albedine, nigredine, quæ faciunt subjecta alba, nigra, absolutè, sine ullo cõnotato ad aliud. Sed Vbicationes faciunt subjecta adessentia in* connotatione spatij cujusdam, adeoq; spatij respectum semper implicant, nec ita absoluta esse possunt, ut albedines. *Ex his* ad simile quoddam argumentum *patet responsio: Vt albedo non est indifferens, ut sit nigredo, sed ex suâ naturâ determinata: Sic ubicatio hominem hic præsentem faciens non est indifferens, ut illum ibi faciat præsentem, sed determinata, ad tale esse præsens, hic esse. Et hoc ex suâ essentiâ habet.* Omninò id ubicatio ex suâ essentiâ habet, *non ex alio superjecto. Sed illa essentia respectum & connotationem ad aliud involvere potest, & sic non est absolutum quid. Sic relationes ex proprijs essentijs faciunt subjectum respicere terminum suum, non aliud: respectivæ tamen sunt, non entia absoluta.* Dices 3. Potest DEus aliquid creare, ut in nihilo ubicetur. *Vt extra supremum corpus mundi, ubi nullum reale amplius suppetit. E. nequit ubietas connotare præcisè aliquid, nam respectu non entis nihil connotari potest.* R. Hoc sequitur, E. nequit ubietas *connotare spatium* præcisè reale, *& extrà coexistens. Hoc etiam non semper necessarium est, sed indifferens hic est spatium vel reale, vel rationis*, t. 27. 28. *Respectu non-*

entis, sc. quod nec est, nec cogitari potest, nihil connotatur. Sed spatium imaginarium cogitatur, quasi sit, etsi reipsâ non sit, t. 31. *Connotatio hic non est prædicamentalis, ut ad terminum realem & positivum; sed transcendentalis, ut ad qualemcunq; qui etiam ens rationis, fictum & nihilum esse potest.* t. 29.

XXXIIX. *Addit* Arriaga n. 65. *aliud argumentum velut pro nostrâ sententiâ:* Si ubicatio est res absoluta, ut albedo, Cur duo corpora nequeunt simùl esse in uno loco? *Nempe quia haberent duas ubicationes absolutas. At hoc nihil impedit, velut quod Petrus habet albedinem, non impedit, quò minus Ioannes habeat similem.* Hoc argumentum exigui momenti est. *Quòd duo corpora nequeant esse in eodem loco, est, quòd duo subjecta nequeant modum vel accidens idem numero obtinere, sed diversum, etsi specie idem esse queat. Quod & de absolutis rebus, & respectivis valet. Sic duo parietes nequeunt albedinem eandem numero habere, etsi eandem speciæ & similem habere queant. Quia una cum inest, incompossibilitatem involuit ad alterũ subjectum, ut ab illo habeatur. Sic duo corpora non in eodem loco numero, quia unum corpus impossibilitatem habet simùl existendi ibi cum altero. Ubi unum, ibi excludit alterum, ut idem numero ubi nequeat occupari à duobus corporibus, etsi simile in specie occupari queat. Velut albedo Petri eadem numero non inest Iohanni, sed alia similis: paternitas Iacobi non inest eadem numero Petro, etsi similis speciei esse possit.*

XXXIX. *Ita etiam ostensum,* in quo formale ubietatis non consistat. *Subjungenda jam* quædam, quæ Canonum instar *ad pleniorem cognitionem intellectus noster suppeditare potest, queq;* Vel *verissimè ei competant,* vel ex *ijs, quæ competant, arguitè ab intellectu educi possint, ut clariùs ac pleniùs Natura ejus elucescat.* Hæc *ratione* convenientiæ vel discre-

pantiæ

pantiæ *spectari possint.* Convenientiæ, *cum habitudines quadam ubietati competentes declarantur. Tales sunt.* 1. Identitas ad essentiam. *Vbietas transcendentalis identificatur essentiæ, tanquam modus & attributum transcendentale enti, cujus est modus. De hoc suprà* c. 24. 25. *actum. Distingvendum autem inter Vbietatem, quæ est modus internus omne ens consequens:* & actualem præsentiam, *quæ coexistentiam & approximationem ad alia extrinsecùs existentia dicit. Illa velut potentia, hæc velut actus potentiæ est.* V. c. 8. *Illa inseparabilis ab ente est, hæc separabilis. Illa à parte rei ipsum esse est: hæc essendi velut ad alia coexistentia extensio & approximatio. Illa abesse à re non potest; hæc potest, ut quando extera coexistentia nō sunt, nec res alicui præsēs esse dici potest. Sic DEus ab æterno in seipso ubietatem habuit, non enim nullibi fuit: præsentiam & adessentiam actualem ad aliam rem extra se non habuit, cum nulla fuerit, sed per creationem demùm fieri debuerit. Illa ipsum esse divinum est. Hæc essendi ad alia coexistentia appropinquatio, novusq́; modus ex habitudine externi coexistentis essentiæ divinæ attributus, ut nullam veram mutationem in esse divino importet. Quomodo Creator, Gubernator, Concursor, Imperator creatorum ex tempore dicitur, nullâ verâ mutatione in DEO indè importata, Vt* dec. 1. d. 6. c. 15. 28. *docui. Ita & omnipræsens creatis ex tempore dicitur, nullâ illatâ indè independenti essentiæ mutatione.* Ubietas *divina simpliciter ab æterno est, & in æternum manebit, est enim ipsa immensitas essentiæ spatiys imaginariys infinitis indistans cogitata, & cum connotatione ad ea apprehensa, quæ ab æterno in æternum est, licet nihil aliud existat:* Hæc *in tempore cœpit existentibus creaturis, annihilatis illis iterùm desineret, salvâ ubietate & infinita essentia reali immutabibilitate. Tùm DEus diceretur alicubi esse, sed non alys præsens esset, cum omnia præter ipsum annihilata esse* præsup-

præsupponantur. *Plura* ex. f. 2. §. 20. *patebunt, ubi de ubietate divinâ agendum erit.*

XL. 2. Fundamentum ad præsentiam realem, si aliqua extrà coexistant. Ubietas est fundamentum realis præsentiæ, si aliqua simùl coëxistant. Ubietas non est ipsa præsentia actualis, sed adessentia in genere tantùm. *Adessentia in spatio* coëxistentibus simùl alijs rebus, *ea demùm est præsentia propriè Philosophiceq; dicta, quamvis voces promiscuè interdum confundantur.* V. t. 27. *DEus ab æterno Ubietatem infinitam seu Ubiquetatem habuit: alijs rebus coexistentib. præsens non fuit, quæ nullæ fuerunt.* V. t. 39. *Ita Recentiores quidam agnoscunt, aliud esse, in aliquo esse, aliud cum aliquo. Hoc præsentiam, illud Ubietatem vel existentiam alicubi tantùm importat.* *Sic* Prætorius p. 2. Cano. Meta. f. 10. §. 1. *DEUM, agnoscit, licet non sit præsens in Imaginario loco secundùm coexistentiam ad aliquam creaturam;* esse tamen ibi secundùm realem & infinitam sui existentiam. *Hoc idem est, ac esse alicubi, sed non præsentem esse. Ita ergò Ubietas infinita essentiæ divinæ fundamentum est omnipræsentiæ divinæ apud creaturas, in primo momento, quo creaturæ existere cum DEo cæperunt. Ita quòd creatura est alicubi, fundamentum est, quòd alteri creaturæ præsens esse possit, si aliqua simùl existat. Præsentia realis autem est essentialis rei ad rem indistantia & propinquitas. Præsentia à præsente & præs esse dicta, quod Veteres pro præsentem esse dicebant, unde præs dictus, quòd interrogatus à populo, si præesset, responderet, præs, scil. sum: vel quasi praeessentia & præexistentia, quòd res, quæ præsens dicitur, sit præ re, cùi præsens est, h. e. ei quàm proxima, ut alteri facilè queat conjungi, ne vel solidi corporis interjacentia, vel nimia loci distantia realem conjunctionem & approximationem impediat. Interdum confidentiam & fiduciam notat, quomodo animi præsentia constantiam & re-*

& robur animi, & præsente animo is dicitur, qui imperterritus & fiduciæ plenus in re est: Interdum vim & efficaciam agendi, quomodo venenum & medicamentum præsens dicitur, quod certissimâ agendi vi est præditum, bewehrte Artzney: *Interdum promptitudinem expeditionis alicujus rei, quæ nulla interpositâ morâ perficiatur, quomodo præsente ære solvi dicitur, quod è vestigio citra moram solvitur,* mit baarem Gelde/ *& præsens pro parato interdum capitur. Sic apud* ICtos *præsens obligatio dicitur, quæ pura est, nec in diem, nec sub conditione datur.* l. 9. ff. Si cert. pet. *Sic præsentia legata, quibus dies conditione apposita non est, quæ & præsenti die data dicuntur. V.* Lexicographos Juridicos, voce Præsens. *Sic* Horat: l. 1. od 35. *de fortunâ,* Præsens vel imo tollere de gradu mortale corpus, vel superbos vertere funeribus triumphos, pro paratâ dixit: *Interdum sistentiam ad condictum locum vel tempus, aut simile quid, quomodo in rem præsentem venire dicitur, cum in locum condictum venitur: Sic in re præsenti faciendam nuntiationem ICti ajunt, i. e. eo loci, ubi opus novum fit. Interdum substantialem propinquitatem, ut cum homo homini, Angelus Tobiæ præsens fuisse dicitur. Sic præsentales Magistri militum, qui in præsenti erant, h. e. comitatui principis juncti.* l. ult. §. 1. C. d. re milit. Distingui potest *docendi gratiâ* in veram ac realem, & analogicam ac habitudinalem. Realis definitur essentialis rei ad rem propinquitas. *Essentialis, i. e. ipsius essentiæ rei, non accidentium tantùm. Ita si sonus alicujus clamantis ad aures veniat, Natura autem ejus absit, nondum realiter præsens dicitur. Vbi substantia præsens statuitur, substantiæ requiritur propinquitas: Vbi accidens, accidentis.* Et πρώτως substantiæ *præsentes esse dicuntur:* δευτέρως *& per illas & accidentia, quæ nusquam extra citraq; substantias reperiuntur.* §. 17. *Vt utrumq; entis genus comprehendatur, dicitur* essentialis propinquitas,

G *h. e.*

h. e. realis & sufficiens approximatio, quà res conjungi queant, ne vel nimia loci distantia, vel corporum aliorum solidorum interjacentia competentem approximationem turbet. Requiri illam indistantiam *ad realem præsentiam patet* partim *vi vocis, quâ præsentia velut præexistentia rei ad rem dicitur, ut antè dictum:* partim *vi conceptus & definitionis, quà formale realis præsentiæ aliter concipi aut explicari nequit, quàm propinquitatem essentialem & indistantiam concipiendo:* partim *communis sensus & intelligentia, quà aliquid præsens alicui esse dicendo convenienter propinquum & indistans ei esse intelligimus, ut alteri ita conjunctum cogitetur, ut nec solidorum interventus, nec nimia interjacentis spatij divulsio propinquitatem intervertat. Hoc enim auditis vocib9, præsentem alicui esse, concipim9.*

XLI. *Sed ab alijs diversum hic tenetur, & substantiæ adessentiam vel propinquitatem ad realem præsentiam requiri non arbitrantur, sed κοινώνησιν sufficere asserunt. Partim* Reformati*hi, partim* Photiniani. *Ex* Reformatis Zanchius l. 2. d. N. D. c. 6. q. 1. Longinquitas, ait, aut propinquitas *non est propria causa, cur aliqua res dicatur & sit præsens aut absens, sed κοινώνησις.* Timplerus 2. Metaph. c. 5. q. 10. *Illa nobis sunt præsentia, quæ sunt præ sensib. nostris vel exterioribus vel interioribus, ab usq; percipiuntur & cognoscuntur, etiamsi locorum intervallo à nobis sint remota, ut docet Augustinus & Thomas Aquinas. Ibidem efficientem proximam præsentiæ communicationem vel obversationem circa sensus asserit. Sic Professorem & Concionatorem in scholâ aut templo esse præsentem, cum se auditoribus communicat, solem nobis, cum oculis obversatur.* Wasius axiom: Philos. § 30. *Fides est organum spirituale, res absentes sibi reddens præsentes.* Goclenius p. 1. misc. p. 122. *Necesse est γνωστόν, quà cognoscitur, uniri cognoscenti, ut sensile, quà sentitur, sentienti. Sic φανταστόν phantasiæ, intelligibile intelligen-*

ri, πιςὸν credenti, ut animo, ideoq́, ei præsens esse. Nulla enim unio est, quæ non ante requirat eorum, quæ uniuntur, aliquam mutuam præsentiam. Falsum itaq́, quod adversarij nostri negant, absentia etiam præsentia esse fidei. Part. 3. misc. p. 101. Fidei tanta vis est, ut etiam absentia faciat nobis præsentia. In Lex. Phil. p. 855. Voce, præsens. Præsentia esse potest procùl dissitorum. p. 856. Non propinquitas loci, sed rei κοινώνητις efficit, ut res dicatur alteri præsens. Nec longinquitas loci, sed rei ἀκοινώνητις facit, ut res dicatur alicubi absens. Præsens aliquid est vel per sensum, ut Sol nobis, vel per mentem, ut sponsa sponso corpore absenti, vel per fidem, ut Christus in Cœlo fidelibus in terrâ. Sadeel de sacra: mand. c. 4. obj. 4. Veræ fidei futura sunt præsentia, quæ, ut nullis locorum spatijs, ita nullis potest temporum intervallis impediri. Cap. 3. arg. 2. Vt res præteritas & futuras fides præsens, quæ nunc est in animo, verè amplectitur: Ita illa ipsa fides Christiani in terra existentis amplectitur corpus in cœlo existens, nullis locorum intervallis exclusa. lib. d. sp. manduc. c. 4. obj. 7. T. 1. Op. p. 236. & p. 386. Ens & verum convertuntur. Vnde si Corpus Christi fidei spiritualiter præsens, verè præsens est, hæc enim præsentia spiritualis opus spiritus S. est. Casp. Laurentius indic. 2. errorum Valentiani ap. eundem Vol. op. p. 393. Præsentia spiritualis non fit per corporalem & localem modum, quia non esset spiritualis, sed corporalis & visibilis: nec locorum indistantiam spectat, nec localis ratio, indistantia, aut inexistentia corporalis in ejus constitutionem veniunt, utpotè quæ ad præsentiam corporalem pertineant. Quid ergò? Certè præsentia est vocabulum homonymum, aliter dicitur de mentali, mysticâ & spirituali præsentia, aliter autē de corporali, quæ fit per indistantiam localem, existentiam, & contactum. Postea: Si fides non intercluditur spatio temporis, multò minùs includitur spatio loci, ut Christus dixit, beati,

qui me non viderunt, & tamen credunt. Item: Opus est vobis, ut ego abeam. P. 374. *Physica unio & conjunctio est, cum duo corpora mutuò se contingunt, localiq; indistantiâ cohærent vel compinguntur. At mystica & spiritualis nihil horum desiderat, nec locum spectat, nec corporeum nexum, nec indistantiam: nec etjam corpus Christi nisi spiritualiter & mysticè considerat & amplectitur, &c.* Pag. 322. *Indistantia nulla potest quæri in spirituali perceptione Christi, quoniam locus nusquam venit in definitionem & rationem hujus verissimæ spiritualis perceptionis.* Similia p. 367. 374. 381. 382. 391 *& alibi vide.* Martyr class. 2. L. C. loc. 16. §. 12. *Christus cum esset venturus, & seipsum pro nobis oblaturus in cruce, fide hoc respectu â majoribus comprehendebatur, & cibus eorum animis erat ad vitam æternam. Nam quæ longissimè remota sunt â nobis, fides ea facit præsentia.* Alstedius in supplem. T. 4. Chamieri c. 5. §. 40. *approbat modos præsentiæ â* Becano *positos. Quatuor modis aliquid præsens alicubi dicitur. 1. Per signum & Imaginem. Sic Imperator præsens est in suâ effigie. 2. Per apprehensionem, sic amicus amico de se cogitanti est præsens. 3. Per effectum & operationem: sic sol nobis præsens per lucem & calorem productum. 4. Per seipsum. Sic sol præsens in cœlo est.* C. 6. §. 25. *præsentiam aliam in spatio agnoscit, ut Sol in cælo; aliam in termino correlativo, ut causa in effecto, effectus in causa, animus in patinis &c. Eodem inclinat* Par. 5. Th. Polem. clas. 7. q. 14. *Cumq; eo* Pincierus c. 2. d. Euchar. proleg. 1. Lud. Crocius l. 4. Theol. c. 4. §. 10. Martinius in Theol. l. 2. c. 22. p. 1415. 1418. 1419. 1422. *Aliiq; eò tendunt. Ex* Photinianis Socinus resp. ad def. Fra. David. c. 14. n. 1. *Christus est cum suis per spiritum sanctum, & DEus eodem modo. DEus non est nobiscum per naturam & essentiam: Sed per* virtutem, favorem, & auxilium suum, *alioquin non magis cum piis, quàm impiis esset. Itaq; ut Christus, licet corpore ab-*

re absens, sit nobiscum, non est necesse, ut naturam aliquam divinam habeat: Sed satis est, ut pro summâ potestate suâ nobis faveat, adsit, & auxilietur. Quod ipsi homines mortales in terris degentes quotidiè faciunt, & pro potentiâ, quâ sunt prædití, etjam absentibus præstò sunt, eosq́ & juvant & fovent. Ob hancq́ ipsam causam Christus, quamvis corpore absuturus esset, alibi: Vbicunq́ duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Similia apud Eundem class. 5. con. Wiekum c. 7. p. 408. reperies.

XLII. *Involucra hæc esse videntur occulendæ aut implicandæ veritatis, & homonymiis vocum maximam partem nixa. Sumunt Patres, Scholastici, Philosophi, vocem præsentiæ interdum pro quavis rei sistentiâ, s. mente & cogitatis, seu actu & re exhibita. Quomodo objectum præsens menti cogitanti, amicum præsentem alteri cogitanti ajunt, ut ex* Augustino & Thomâ Aquinate *dicta allegat* Goclenius citatis locis. *Sed hæc præsentia per speciem & analogiam est, non substantiam & realitatem, de quâ jam disceptamus.* Repræsentatio *rerum veriùs est, quàm realis rerum præsentia. Conjunctio imaginaria, phantastica, cogitativa, objectum aliquod sibi cogitando sistit: Sed accuratè loquendo* imago & species objecti *præsens sistitur, quæ objectum repræsentat menti: non ipsum objectum reale & materiale, quod multùm dissitum à nobis esse & manere potest. Adeoq́ καταχρηστικῶς objectum præsens dicitur. Conceptus nostri fiunt per species & imagines rerum apprehensas, quando res ipsas immediatè & essentialiter cogitatis inferre non possumus. Quærendo ergò, quid uniatur menti cogitanti, quid præsens illi sistatur? propriè speciem apprehensam & imaginem sisti dicendum est, non ipsum reale objectum. Quia tamen species objecti alicujus imago est, consequenter objectum præsens sisti dicitur, non quòd reipsâ adsit, sed* quòd ejus repræsentatio adsit. *Sic cogi-*

to montem, quem in Hassiâ viderim. Propriè species & imago montis cogitata menti adest, & unitur: Mons ipse realis multis locorum intercapedinibus à me secretus manet, nec nisi magno vocum abusu realiter mihi præsens esse dici potest. Sic cogito amicum, qui Parisijs degat. Propriè species cogitata & repræsentatio amici menti præsens est, ipse amicus realiter tanto à me distat spatio, quantum inter Gedanum & Lutetiam intervalli intercurrit. Vera præsentia realem conjunctionem substantiarum & propinquitatem essentialem sufficientem ad idem Vbi requirit, sive physica illa sit, sive hyperphysica, ut communis vocum intelligentia in præsentem esse ostendit.

XLIII. Realem præsentiam *non expediet* vel *imaginatio*, vel *qualiscunq́ ante sensus obversatio*, vel *fide facta repræsentatio*, vel *virtualis influxus & effectiva communicatio*, vel *relatio aut respectus rerum mutuus, quo res ad rem refertur, vel simile quid, quæ à dissentientibus hic adduci solent.* Non imaginatio, *quia illa non res ipsas, sed rerum* ὁμοιώματα *& simulacra abstracta cogitationi sistit. Nam ut sensio per receptionem specierum sensibilium, ita intellectio per receptionem intelligibilium expeditur. Ergò ad summum species intelligibiles & simulacra rerum menti erunt præsentia. Hic autem de præsentiâ reali ipsarum rerum, non adumbrativâ, quæ per simulacra est, quæritur.* V. t. 42. *Et imaginari nobis possumus præterita, ut pugnam Pompeji cum Cæsare, excidium Trojæ, incendium Magdeburgi, itemq́ futura, ut resurrectionem mortuorum, seculi consummationem, futurum universale judicium, quæ realiter sisti præsentia per imaginationem illam nemo sanus affirmaverit. Et ut* præsentia in tempore non redduntur per cogitationem, quæ sunt longè præterita aut futura per veritatem: ita nec per eandem redduntur præsentia in loco & spacio, quæ sunt multum dissita per realitatem. *Sunt manentq́ re-*

mota

mota re, utcunq; per simulacra in cogitatis exhibeantur speciae. Imaginari etiam possumus res prorsùs non existentes, nedum coexistentes, & reverà præsentes. Vt Phaëtontem, Icarum, Chimæram. Quis per cogitationem illa reddi realiter præsentia dicet, cum figmenta & prorsus nihil in re sint?

44. Non qualiscunq; ante sensus obversatio. Dico, qualiscunq;, *i. e. quæ non cum reali propinquitate & convenientе approximatione est juncta. Hæc si adsit, realis præsentia rei adest: Si hæc absit, sola ante sensus obversatio realem præsentiam non faciet.* 1. Quia sæpè est longissimè dissitorum & realiter absentium, *quæ nemo præsentia esse dicet, ut maximè sensu aliquo percipiantur. Si in summitate multùm editæ turris aut montis consistam, ac infra homines prætereuntes videam, non ob id isti mihi realiter præsentes dicentur, quòd eos videam, cum ingens adhuc inter nos maneat distantia, tanta, quanta inter summitatem turris ac montis, & subjectam tellurem interjacet, ut minus realiter præsentes mihi dici queant. Opticis instrumentis affabrè confectis visu percipi possunt, quæ ad* 2. 3. 4. *milliaria Germanicâ & ultrà distant. Quis per* 3. *milliaria distantia realiter nobis dicet præsentia, uticunq; sensui visus beneficio dioptræ a. perspectivæ objiciantur? Videmus stellas in cœlo, fixas & erraticas, meteora supremi aëris, ut faces, ignes perpendiculares, bolides, capras saltantes, scintillas volantes & similia, quæ tamen partim multis milliarium Germ: millibus rectissimè distare à nobis docent Mathematici, ut stellas cæli, & ipsi Reformati maximam distantiam significaturi corpus Christi tàm procul ab pane Eucharistico abesse ajunt, quàm supremum cœlum à terra distet: Quomodo & scriptura grandem distantiam notatura cœli & terræ distantiam adducit.* Esai: 55. v. 9. *partim aliquot milliarib. abesse pro certá hypothesi assumunt Physici, Quādo exhalationes meteoricas ad* 13. *& ultra millliaria attolli posse*

posse docēt, ūde meteora ignita supremæ regionis aeris gerērētur. Vnde solâ visus perceptione nequeunt ista realiter nobis sistē præsentia dici, ut nonnisi aliene Timplerus *solem, cum oculis nostris obversatur, corporaliter nobis præsentem statuat, tametsi longissimo locor. intervallo à nobis sit dissitus*, loc. th. 41. *citato. In quo insignem involvi contradictionem, longo locorum intervallo dissitum, & corporaliter præsentem esse, communis vocum istarum sensus & intelligentia, dissitum & præsentem esse, importat. Visionem rectam distinctam in plano ad 4. in alto ad 10. milliaria Germ. se extendere docent Optici. An tot milliarib. distantia, si videantur, realiter præsentia esse dicentur? Et præsens mihi dicatur, qui 4. aut 10. milliarib. absit? Sensui communi id contravenire credo. Ignis* Jamniæ *in portu & navali exustis à Maccabæo navibus excitatus Hierosolymis videri potuit, quanquam* 240. stadijs, *i. e.* 7. ½ *mill: Germanicis distarent*, 2. Maccab. 12. v. 9. *An ignem illum Hierosolymis realiter præsentem dices, quòd ibi visus?* Plinius l. 7. c. 21. *fuisse aliquem ex Cicerone tradit, cui nomen M. Varro Straboni reddiderit, qui ad 135000. passus, i. e. 1080. stadia vel 33. & ferè dimidium, milliaria Germanica pervidere potuerit, Punicoque bello à Lilybæo Siciliæ promotorio classe Carthaginis portu exeuntem etiam numerum navium dicere solitus fuerit.* Valer. Max. *Lynceum vocat* l. 1. c. 8. Strabo. l. 6. Geogr. *per 1500. stadia ipsum videre potuisse ait. Nemo naves 33. mill: Germ. distantes ei præsentes fuisse affirmabit, quòd ipsi visæ ac numeratæ sint. Si arcem procul dissitam visu sibi quis præsentem sistat, alter oculos claudens eam non percipiat, uterque* realiter ab arce aberit, *nec realiter videnti præsens arx erit, quòd visus eam objiciat.*

XLV. Similiter *se de alijs sensibus res habet. Si quis in elatæ turris fastigio existens alium infrà ambulantem inclamet, cum eoque colloquium societ, tantum ab altero distabit, quantum fastigium*

giū turris ab ima tellure distabit, utcunq; sonum alter alterius exaudire posset. Si quis stentorem aliquē ruri aut in sylvâ magna sonantem, cornua quod vincatque tubas, *multumq; adhuc distantem exaudiat, non ideò ei præsens judicabitur iste, quòd clamorem eius exaudire queat. Tubas lituosq; clarè sonantes remotis ex locis audire possumus, nec tamen præsentes statim habemus, nisi præsentia intentionali, soni specie in sensorio, auribus, receptâ, de quâ hic non quæstio. Hæc enim non rerum, sed simulacrorum & specierum est præsentia.* c. 42. *Canum Venaticorum latratus in venationibus interdum exaudimus, ipsis canibus multum absentibus, & per varios anfractus quandoq; inquirendis.* Inter Flandros *aliquando & Batavos fragor ac ululatus pugnantium ad 3. milliaria exauditus fuit. In obsidione Melitensi fragor tormentorum in Siciliâ exauditus fuit. In pugnâ Christianorum cum Turcis An. 1572. ad Naupactum fragor tormentorum in summis montibus Tirolensibus Anagninis exauditus fuit.* Camer. C. 1. c. 77. *Cum Metis à Carolo V. obsessis, fragor tormentarius Argenterati auditus, quæ 22. mill. Germ. distat.* Sleidan. l. 24. hist. *Ex lacu Velino in Vmbriâ aqua per saxum excavatum tanto fertur impetu, ut fragor ad 10. milliare exaudiatur.* Alsted. l. 12. Encycl. p 2. c. 4. §. 5. *In obsidione Rhodiensi fragor machinarum ad 20. milliar. Germanica audiri potuit.* Cracovius in descr. Maltæ. c. 10. *Cum Caletum Gallus obsideret, fragor tormentorum Antverpiæ est auditus, quæ 33. milliar. Germ. distat.* Lundorp. in Sleidan. contin. l. 1. p. 36. *Campana apud Saxones sub Clothario Rege fuit, cujus sonitus 7. milliaria auditus est, ut ex* Surio Suvertius not. ad Magium d. tintinnab. p. 98. *notat. Anno 1630. Martio mense triremis aliqua pulvere pyrio in aërem disjecta, & fragor ad 7. milliaria exauditus est.* Meteran. continuat. l. 47. p. 67. *Similia ex historiis abundè promi possint. Nemo tàm distantia realiter*

præsentia sibi esse dicet, quòd sonitus & fragores eorum per species ad aures sistantur, quæ etiam in remotissima fundi queunt. In olfactu simile quid observamus. Qui feles occulto horrore abominantur, eos odorari interdum possunt, etsi in seclusis adhuc hypocaustis degant, & sic per interjectos solidos parietes minimè realiter sint præsentes. Etsi cistis sint inclusi, & sic ob solidorum interjectum etiam pro absentibus censeantur. Canes feras in saltibus odoratu indagant, ut maximè feræ multum adhuc locis remotæ sint. Multi pomorum etiam multùm adhuc absentium odorem præsentiscunt, nec ferre possunt. His omnibus sensuum perceptiones aut in ijs obversationes nondum reales præsentias inducunt.

XLVI. 2. Quia *ad realem præsentiam prorsùs per accidens est, sensibus obversari, ut nec faciat veram præsentiam, nec tollat. Non facit, quia multa sensibus percipiuntur, quæ realiter remotissima sunt, ut t. 44. 45. visum. Non tollit, quia multa realissimè sunt præsentia, quæ sensu aliquo non percipiuntur. Aër realissimè nobis est præsens, cingens nos ac proximâ terminatione concludens, nec quoquam sensu ob subtilitatem suam percipitur. Si quis profundis meditatis defixus hæreat, sæpè, quæ proximè præsentia & ante oculos auresq́ sunt, non advertet, non ob id præsentia rerum tolletur. Animum enim in percipiendo sensili occupatum esse oportet, si præsentia sentiri debeant, secùs oculis etiam apertis nihil sentietur, ut Physici docent. Iuxta illud:* Pluribus intentus minor est ad singula sensus. *Amicum præsentem & proximè junctum meditabundus interdum non advertet, amicus tamen verè præsens erit.* S. Bernhardus *spirituali gaudio perfusus per totum diem lacui obequitans nunquam eum vidit, toto anno in cellâ degens nunquam sensit, an testudinem haberet, cum tamen realissimè illa ei præsentia.* Xaverius *in Iapone iter faciens subinde in vepres & saxa impegit, nec advertit,*

advertit, nec sensit. Cor. à. Lapid. in Apoc. 2. v. 17. *Qui lipothymian patiuntur, nec amicos, nec alia circumstantia persentiscent, quæ tamen realissimè illis propinqua & præsentia.* Chrysipp⁹ *ita speculationib⁹ Logicis intent⁹ egit, ut nec potus nec cibos ante se positos adverteret, fameq; peritur⁹ fuisset, nisi ancilla Melissa cibos in os ingessisset.* Erasm. in colloq. Prof. S. Augustin⁹ *dum S. Trinitatis mysterium profundè speculatur, mulierem se interpellantem nec respexit, nec responso prosecutus est, ut mulier se contemptam esse putans tristis abierit.* Thomas Aquinas *Parisÿs cum Rege cænans ita cogitatis alienatus est ut nec cerneret, quo loco esset, nec oculis conniveret; sed percussâ manu mensâ exclamaret: Adversùs Manichæos conclusum est. Argumento n. quo Manichæorum dogma everteret, detinebatur.* Langius florileg. voc. cogitatio. Archimedes *invento fraudis deprehendendæ in coronâ regiâ medio extra se raptus ac nudum se esse non animadvertens nudus è balneo in publicum evolavit,* εὕρηκα εὕρηκα *inclamans.* Vitruv. l. 10. Carneades *ita mirificum se doctrinæ operib. addixit, ut cum cibi capiendi causâ recumberet, cogitatis inhærens manum ad mensam porrigere oblivisceretur. Et animo tantùm vitâ frui videbatur: corporeq; alieno & supervacuo circumdatus erat.* Valer. Max. l. 8. c. 7. *Honesta piaq; quædem virgo nuda in lecto dormiens nocturno tempore correpta, quòd flagrare domus incēdio diceretur, nuda in publicum prodÿt, sine ullo planè nuditatis suæ sensu.* Casaubon: ex. 16. c. Baron. §. 65. Baronius *juvenem illum, cuius* Marci 14. v. 51. *mentio, Ioannem Evangelistam fuisse putans præ vehementia mæroris & amoris Domini profunda suipsius oblivione sepultum nihil de sumendis vestibus cogitavisse arbitratur. Nuditas hic præsens fuit: nuditatis sensus non fuit. Ac in cæteris multa verè ac realiter fuerunt præsentia, utcunq; sensu non percepta fuerint. Cum animus aliò distractus pluribus simùl percipiendis minùs sit idoneus.*

XLVII. *Nec realem præsentiam faciet* fide factâ repræsentatio. 1. Quia *Fides rerum naturam non evertit, sed relinquit, & absentes ut absentes, præsentes ut præsentes recipit. Sic meritum Christi respicit, non ut præsens, sed ut præteritum & absens. Resurrectionem mortuorum, consummationem seculi, extremum judicium, ut futura, non ut præsentia, suscipit. DEum adesse credit verè præsentem, omnibusq; rebus creatis indistantem, quia reipsâ talis est.* 2. Quia *si fides res realiter absentes sistit realiter præsentes, contradictoria conciliabit, & utrumq; contradictionis membrum verum esse præstabit, sicq; efficacior erit ipsâ omnipotentiâ divinâ, cui vera contradictoria præstare non subjacere hactenus cum Reformatis credidimus, quòd impossibilitatem in seipsis illa habeant, quâ absolutè fieri nequeant, nonnullam potentiam in actum deduci possint.* V. t. 19. 20. *Sunt autem vera contradictoria, realiter præsentem esse, quod fides præstabit, & realiter absentem esse, quod rei in se competet, & eodem respectu modoq; spectata conciliationem, quâ commeent, non admittunt.* 3. Quia *si fides ex absentibus realiter facit præsentia, erit causa objectorum suorum, non autem objecta erunt causæ fidei. Faciet enim præsentiam in rebus, quæ in ipsis rebus realiter non est. At hoc inconsequens est, & invertendum.* πίστις *& fides non est causa* πιστοῦ *& objecti crediti, sed objectum creditum est causa fidei. Sicut mens non est causa objecti: scientia non causa scitæ rei, sensio non sensati: sed objectum est causa mentis, scita res scientiæ, sensatum sensionis, cum recipiuntur. Non ob id, quod nos credimus, DEum realiter nobis præsentem esse, ideò reverâ præsens est: Sed contrà,* quia reverâ præsens est, *ideò nos præsentem esse credimus. Non quia nos trinum in personis credimus DEum, ideò talis est: sed ex adverso, quia reverâ talis est, talemq; esse se revelavit, ideò talem esse credimus, & credere par est. Non eo, quod nos corpus Christi cœnæ præsens credimus, ideò*

ideò præsens est: sed quia reverâ præsens est, & futurum promisit Christus, ideò nos præsens esse credimus. Præsentiam substantialem non à nostrâ fide, sed veritate, voluntate, & potestate instituentis habet. Fides nostra non faciet res: Sed res earumq́ revelationes assensu receptæ facient fidem. Idem ita de præsentiâ se habebit. Fides non faciet eam, si res realiter sint absentes: sed si reverâ sint præsentes, & de præsentiâ liquidæ promissiones extent, fides eas præsentes esse credit, & ut tales recipit. Vt res quæ aliàs reverâ absens sit, reverâ præsens sit, fides præstare non potest. Id *potest, ut res verè præstò futuras promissas, utut sensus nihil agnoscat, utut ratio contraria & contradictoria omnia fingat, indubitatò ac plenissimâ fiduciâ, præter sensum, contra spem, supra rationem, ibi adesse credat, ubi adfuturas promissum est. Ita in Cœna se res habet. Et horsùm pertinent, quæ de efficaciâ fidei strenuè rhetoricantur Reformati. Vt cum fidei omnia dicuntur esse præsentia, quæ scil. sunt in verbo DEI promissa. Non quòd actu & realiter sint præsentia: sed quia tàm certò ac firmiter creduntur, atsi jam præ manibus & oculis essent præsentia. Vt bene con.* Sadeelem D. Mentzerus d. Sacr. mand. c. 3. ar. 2. *loquitur. Huc redigendum illud* Martinij in Theol. p. 1422. Nolle efficaciam S. Spiritus, quæ in fide se exserit, intelligere est res profectò deploranda. Et fidem ut rem imaginariam & fictitiam traducere, minimè toleranda Ecclesiæ contumelia. *In credendo promissis divinis* de verâ rerum præsentiâ *verissimum hoc est. In præstandâ rerum aliàs absentium reali præsentiâ vanissimum. Fides nec potentiam ad id habet, nec talis potentiæ in verbo DEI promissionem. Abraham contra spem in spem credebat, quia promissum habebat.* Rom. 4. v. 18. *Nos præsentiam Christi hominis in Sacramentis & Ecclesiâ credimus, quia promissam extare videmus. Idē in spiritu diem Christi vidit.* Joh. 8. v. 56. *non fecit diem*

illam realiter sibi per id præsentem, quæ dissita, & post multa tempora demùm futura erat: Sed prout ea in se erat, ita Abrahamo spiritu repræsentabatur, nempe ut suo tempore futura. Imago repræsentata diei Abrahamo præsens erat: Dies ipsa realiter futura manebat. Quia certissimâ fiduciâ eam ut futuram sperabat, ideò diem ipsum Domini vidisse affirmatur. Non actu rei, sed spei dies illa Abrahamo visa est. Quædam in V. T. realiter erant præsentia, ut justificatio, sanctificatio: Hæc Patrum fides ut præsentia amplectebatur: Quædam dissita & futura, ut Christi incarnatio, passio, resurrectio. Hæc ut futura apprehendebat. 4. Quia *ut mens non res ipsas materialiter, sed rerum species, objecta, & imagines recipit: Ita fides apprehendens & sibi aliquid sistens rerum species & simulacra sistit. E. cum præsentiam facit, speciei, objectivam, & intentionalem tantùm faciet, non realem & essentialem, de quâ hic quæritur. E. & realiter absentia realiter præsentia non faciet.* 5. Assentiuntur hic nonnulli *ex ipsis dissentientibus.* Alstedius f. 4. Th. Schol. c. 35. §. 20. Si quis dicat, carnem Christi sumi in Cænâ carnaliter, *auffert fidem ex Sacramento, quippe quæ est rerum absentium.* Postea: Sic nos ipsi sæpè conferimus multa bona propter aliquod bonum, *non quidem præsens in se, sed præsens in memoriâ nostra, ut idem* Duns *ait.* Goclenius p. 3. misc. 101. Fides fertur & in præsentia, & absentia, quæ sunt præterita vel futura bona. *Ut credimus πρόνοιαν DEI præteritam, præsentem, futuram. Credimus & Christum resurrexisse, & nos resurrecturos. Hæc illi. Si fides temporum differentias in rebus relinquit, etiam spatiorum habitudines, præsentias vel absentias reales relinquet, nec ex realiter absentibus realiter faciet præsentia.* Dices: Ens & verum convertuntur. E. si corpus Christi fidei est præsens in Cœna spiritualiter, verè est præsens, spirituale enim ens est. R. Ens & verum

verum sc. latissimè sumptum & transcendens *convertuntur, quod & veritatem signi, repræsentationis, analogiæ, adumbrationis, & cujusvis latitudinis comprehendit. Sed cum verè præsens aliquid dicitur, non illa lata veritas intelligitur, sed* stricta, *quæ ipsam rem ejusq; substantiam respicit, non ejus signum aut adumbrationem. Sic fides rem verè in se absentem non potest facere verè præsentem. Præsentia repræsentationis & signi analogica & habitudinis tantùm est, non substantialis & realis, de quâ jam quæstio. Et si ita corpus Christi in Cœnâ præsens habent* Reformati, *rei ipsius substantiâ verè absens habent. Quod aliàs, &, ut hypotheses docent, non falsò ipsis imputare solemus.*

XLIIX. *Nec* virtualis influxus *&* *communicatio realem præsentiam importat.* 1. Quia *inter remotissimè absentia esse potest. Sic cælum influxu virtuali & operationis communicatione agit in terram, ejusquè viscera, fodinas metallicas, aquas & maria, &c. & tamen realiter manent maximè absentia, ut maximam distantiam significaturi cœli & terræ distantiam adducamus.* V. t. 44. *Vnde nata distinctio contactus in corporalem & virtualem, ubi virtualis per operationem tantùm est, non essentialem indistantiam. Et propriè rigidequè loquendo* virtus & efficacia alicujus agentis *præsens illi est, in quod agit: ipsum agens realiter absens esse potest. Vt in vnguento armario, quod postea adducetur, evidentissimum est. Sic luna operationem suam maribus & aquis inserit, quas variè movet & afficit, ut communis opinio habet. Realiter tamen multis milliarium millibus ab illis absens est. Medicus præscribēdo medicamentū in ægrotum aliquot milliaribus absentē virtuali operatione agere potest. Nemo ob id realiter eum ægro præsētē dicet. Vnguentum armarium vel hopliatricum, ut Medicis dicitur, absentium vulnera curat, si telum aut gladius, quo vulnus*

inflictum, aut lignellum de salice in aperturâ vulneris cruore madefactum, eo inunguantur & circumligentur, ut peritiores Spagyrici docent. Æger tamen ab unguento per milliaria 12. 20. & ultrà realiter abesse potest. Propriè *hic virtus unguenti ægro est præsens: ipsum unguentum quà substantiam reverâ est absens. Amici per literas sibi varia communicantes influxus in sese mutuò exercere possunt, realiter tamen inter se sunt absentes, ideò literæ in vicem absentiæ succedunt. Extant ingeniosa mechanicorum exempla, quæ ad hanc rem adferri possunt, ubi aliquis in hypocausto sedens artificiosè dirigit alia à se distantia, & diversis conclavibus conclusa. In horologijs campanæ malleus trahitur à rotâ multum infrà campanam in separato conclavi decurrente, campanâ in fastigio turris appensâ. Operatur rota in campanam, nec realiter sibi præsentia. Ita cum* Reformati *Christum hominem spiritu, virtute, & donis nobis adesse dicũt, quod nec nos negamus, secundùm illud Lutheri in cantione:* Er ist bey uns wol auff dem plaan/ mit seinem geist und gaben; *aliquid quidem dicunt, sed rem nondum absolvunt. Præsentiam enim habitudinis, virtutis, & analogiæ hæc faciunt: realem & substantialem, quæ in essentiali propinquitate rerum est, non faciunt, de quâ inter nos quæstio.* 2. Quia *ad veram præsentiam influxus virtualis reverâ est indifferens. Potest operatio inter verè præsentia esse, ut cum culter secat panem, amicus alteri præsenti loquitur: potest & inter absentia esse, ut cum cælum influit in terram, Medicus in ægrotum absentem curando agit, Rex dominio in territoria sua & provincias remotas imperat, unguentum armarium in vulneratum absentem efficaciam mittit, &c. Ita κοινώνησις realem præsentiam rerum nec præcisè importat nec tollit.*



DE ESSE ALICUBI

EXERCITATIO TERTIA.

De ulteriorib. competentijs & divisionib. quibusdam Vbietatis.

Resp. PAULO ERNESTO FUCHSIO, Stetin. Pomer.

THESIS XLIX.

NEquè relatio aut mutuus rerum respectus *præsentiam aut unionem realem introducet, quorsùm nonnulli ex dissentientibus intendunt.* Ut Keckerman. l. 1. Log. l. 1. c. 12. *Relationem duorum pluriumvè unionem definiens.* Can. 6. Relationes, inquit, ad sui introductionem & conservationem non egent locali contactu. *Patri versanti in Asiâ nasci potest filius Romæ.* Timplerus 5. Meta. c. 5. q. 16. *Relatorum conjunctio & unitas non est absoluta, sed respectiva, quippe quæ in solo respectu unius relati ad alterum consistit, ideoq́ ex naturæ suæ conditione contactum localem non requirit.* Crellius par. com. l. 1. p. 47. *Inter relatum & correlatum unio est. Similia* ap. Goclenium not. ad cit: caput Metap. Timp. & disp. apolog. t. 72. Alstedium p. 2. Metap. c. 5. §. 6. Zanakium l. 1. c. Jac. Martini l. 1. c. 12. q. 1. & 5. *aliosq́ vide. Contrarium veritati est consonum, & rationibus firmatur.* 1. Si relatio *est vera rerum unio, Et ubi unio, ibi res unitæ unum fiunt,* Ergo *ubicunq́ relatio, ibi relata unum fient, cum diversissima, imò opposita maneant. Vt Pater & Filius, herus & servus, præceptor & discipulus, opposita sunt & manent, ac nunquam unum fiunt. E. Nec prius, relationem esse unionem. Misera sunt effugia* Zanakij & Alstedij c. l. *relationem esse unionem, non unum: Et relata esse realiter unum, sed realitate relativâ, non absolutâ. Quomodo potentias animæ idem cum animâ realitate absolutâ, distincta relativa*

 lativa

lativâ dixit Scotus. Esse unum unione virtuali & pactionali, non locali. 1. Enim, *relatio etsi unum non sit, facit tamen unum, si vera unio est, ut ipsi volunt. Vnio enim ex distinctis facit unum, in hoc enim ejus natura consistit, ut sit distinctorum conjunctio, ut unum fiant. Sic materia & forma unionem sortitæ unum faciunt compositum.* 2. Si relata *fiunt unum realiter per relationem, sed realitate relativâ. Ergò non manent duo diversa in ista realitate. Sed adeò manent diversa, ut maneant opposita in illâ ipsâ realitate relativâ. Relatum enim, quâ tale, nunquam fit suum correlatum, sed eo ipso, quo relatum ejus est, oppositus ei terminus est, nunquam idem relativè cum ipso. Et correlatum nunquam fit relatum ejus, cujus est correlatum. Pater nunquam fit Filius ejus, cujus est Pater, filius nunquam pater ejus, cujus est filius, semper opposita manent. Aliud est, respicere sese, & habitudinem inter se habere: hoc in relatis est: aliud unum fieri, & unionem inter se habere, hoc per solam relationem nunquam expedietur. Si quamcunque respectus habitudinem statim unionem dixeris, & vocibus malè abuteris, & ubi ad summum rem deduxeris, unionem habitudinalem tantùm, analogicam, σχετικὴν, & adumbrationis induxeris, ex quâ nunquam præsentiam realem, de qua inter nos quæstio, elicies.* 3. Unio virtutis *& pactionalis non est realis rerum ipsarum, sed effectuum tantùm & efficaciarum, ut* c. 48 *ostensum. At præsentia realis est ipsarum substantiarum propinquitas, non tantùm effectuum, virtutum, vel pactorum. Virtutes adesse possunt, rerum substantiis remotissimè absentibus. Hic a. inter nos de præsentiâ reali agitur, non habitudinali. Deinde Relatio ad rerum unionem prorsùs est indifferens. Quædam relatio inter unitissima esse potest, ut inter Patrem & Filium in S. Trinitate, locum & locatum in capacitate locati, continens & contentum: quædam inter separatissima, ut inter typum & antitypum, inter patrem Romæ, & filium Edinburgi existentem,*

inter amicos locis à se remotissimos. Sic Pompejus pater occidit in Africa, filiorum alter in Europâ, alter in Asiam fugiens in Siculo freto juvenis oppressus est. Flor. l. 4. c. 2. 8. *Sed ex illis, ad quæ res prorsùs indifferens, vitiosissimè tanquam essentialib. definitur. Ita & relatio malè per unionem. Si cum* Zanakio *imperfectam definitionem esse dixeris, qualis in notionib. secundis sufficiat: non imperfectam solùm esse audies, sed vitiosam, Quia ex non essentialibus, & indifferentibus rei procedit. Et malè adducuntur imperfectæ definitiones, ubi perfectiores longèq; meliores dari possunt. Vt hic:* Relatio prædicamentalis est accicidens, *respectum rei ad rem, ut ad terminum extrà coexistentem dicens. Falsum etiam, Relationem esse notionem secundam.*

L. *Hæc de præsentia* reali: Habitudinalis & analogica esse potest, quâ aliquid per analogiam & repræsentationem sui adest, non essentiæ ipsius propinquitatem. *Hæc analogia in varijs esse potest, undè varij analogicæ præsentiæ modi oriri possunt.* Vel in specie repræsentatâ, *ut cum vel sensu, vel cogitatione & phantasiâ aliquid concipitur, & ita per ideam sui ac imaginem præsens sistitur: Vel fidei intuitu, cum per fidem velut p speculum & in ænigmate* 1. Cor. 13. v. 12. *aliquid præsens habemus, ut cum futurum judicium fide mentis repræsentamus:* vel typicâ *aut personatâ adumbratione, ut cum in Isaaco passio Christi, in Comædia Cæsar, Achilles, aut alius repræsentatur. Huc pertinet, cum insani ex insaniâ hos aut illos sibi velut præsentes faciunt, & adesse credunt. Sic* Cremonensis quidam servus apud Nobilem Mediolanensem *famulum agens, suavi interdum insaniâ abreptus Pontificem se credebat, ac Cardinales, quos ordine pictos in cubiculo habebat, sibi adesse credens coram illis è solio, cui innitebatur, orationem habebat, diplomata conscribebat, beneficia conferebat, similiaq; agebat, quæ præsentibus exhiberi solent. Triumphus quidam Camartinus civis Vr-*

binatis stabularius similiter delirabat. Qui per diem semel se Pontificem esse persuadēs, Cardinales omnes, quos pictoris manu rudioribus lineamentis exprimendos curarat, præsentes adstare putabat, cum illis idiomate suo proletario agebat, gravia imperabat, multa ad mores Ecclesiæ spectantia proponebat. Donec errore secedente strigilem iterùm corriperet, & ad equos curandos se componeret. Narrante Florimundo in fab. d. Johanna Pap. c. 24. n. 5. Vel sensuum *præstrictione & illusione, quomodo Magi multa præsentia sistunt, quæ tantùm fascinationes ac sensuum illusiones sunt, quibus apparent quædam adesse, cum nihil minus sint. Sic* Faustus *Principi Anhaldino arcem in monte, uvas, pisces, pomaq; varij generis velut præsentia exhibuit.* Histor. Fausti p. 3. c. 12. 13. *Similiter Alexandrum Magnum cum conjuge fictis præsentijs* Carolo V. Imperatori *stitit.* Id. c. 1. c. l. Vel depictione *& imaginis alicujus designatione, ut cum Cæsar dicitur pictura Cæsaris, Imperator Carolus aut Ferdinandus signum ejus in moneta expressum, pugna Græcorum cum Xerxe, Romanorum cum Annibale, in adumbratione quadam per picturam facta*: Vel virtutis *communicatione & operationis in aliud influxu, ut cum præsens sol terris dicitur, quòd eas calefaciat, Luna, quòd eas humectet, unguentum armarium ægroto, quòd à vulnere liberet: vel alio modo, qualiscunq; is esse possit, citra realem propinquitatem.*

LI. Tertia habitudo *Ubietati conveniens est*, unitatis transcendentalis permanētia, etsi plura ubi in re assignentur. Multiplicatio *rē* ubi in aliquâ re non tollit Unitatem rei transcendentalem, quâ essentialiter indivisum, certum, distinctum, *& determinatum Ens manet, sed relinquit. Pateiq; &* ratione & exemplis. Ratio *est*, *quia τὸ ubi, spatium, locus, extraneum quid est, non ipsam internam rei essentiam concernens. Est enim spatium, cui res adesse denominatur & intelligitur.*

tur. At quæ extranea sunt, nec interiores rerum Naturas concernunt, illis mutatis, multiplicatis, demptis, rerum Naturas mutari, multiplicari, tolli, aut everti nihil est necesse. E. etsi ubi vel spatia rerum externa multiplicentur, ipsas res essentialiter multiplicari nihil est necesse. E. & si res in pluribus ubi simul esse dicatur, ipsa res essentialiter ob id non multiplicabitur. E. etsi res in nihilo esse dicatur, & nullum ubi vel spatium reale habeat, inquo sit, non evertetur rei natura. Ita in DEo ante mundum & spatia creata fuit, & in corpore aliquo supra supremum mundi corpus à DEO ubicato futurū esset, si DEus eò corpus vel rem aliquam locaret. Et ubietas modus aliquis respectivus in re est, formaliter à re diversus. *At modos in re multiplicari rei essentiâ unâ manente, nihil absurdi. Sic ens unum essentiâ: sed varij in eo modi, unitas, veritas, bonitas, perfectio, ubietas, duratio, &c.* Exempla: *Sic DEus ubiq; existens, nullibi distans, multa & infinita ubi habet, in quibus sit, essentia manet transcendentaliter una & determinata, non multiplicatur. Anima humana in toto corpore est tota, & in qualibet parte corporis tota, sicq; multis particularibus & inadæquatis ubi adest, quamdiu corpus informat, ut in* Physicis *docetur*, & concedit Alstedius s. 1. Th. Schol. c. 19. §. 3. & p. 5. Theol. Polem. class. 3. q. 5. & l. 6. Phys. c. 6. §. 8. n. 4. *Vnitas tamen essentialis manet, non destruitur. Angelus corpus sibi uniens, illudq; ad tempus ut forma assistens vegetans, & toti corpori unitus est totus, & singulis ejus partibus tanquam ubi inadæquatis totus adest, est enim spiritus, qui incorporeus, immaterialis, inextensus, impartibilis & indiffusus est. Vnus tamen essentialiter manet, non multiplicatur secundùm illa ubi, quibus adest. Vnus sonus realiter pervenit ad multorum aures, ut Physici disputant, interq; eos* Alstedius p. 6. Phys. c. 2. §. 13. n. 9. Timplerus l. 2. empsych. c. 8. q. 23. Keckermannus l. 3. Phys. c. 21. *aliiq;. Ita in mul-*

tis ubi partialibus per aërem diffusus erit, essentiâ tamen & numero unus manet. Dissensus hic iterùm in Reformatis *est, qui multiplicatâ præsentia ad ubi & locum in substantia & corpore, verè multiplicari corpus ipsum dicunt. Sed validæ rationes non sunt, quæ id statuminent. Et exempla allata sunt in contrarium. Plura de eo dicere* sect. 4. §. 69. seq. *occasio feret, ubi de ubi corporis disceptabitur.* Quarta affectio est inæqualis ad DEum, & creata attributio. *Esse alicubi* respectu nostri, *prout à nobis formale ejus conceptum est, & fuit, primò dictum est in Creaturis, has n. hic, ibi, in templis, Scholis, plateis, esse diximus, & attributi nomen primò â creatis ad DEum traduximus,* §. 10. *Hinc DEO ita tribuenda ubietas, ne qua creata imperfectio ei adhærens DEO inferatur.* V. s. 2. §. 17. *Sed respectu* perfectionis attribuendi *primò de DEO Esse alicubi dicendum, secundò de creatis. Ut n. DEus primò Ens est, secundò creatura: sic & attributa Entis unita primò participat, inter quæ etiam Ubietas.*

LII. *Visa sit Ubietas* ratione convenientiæ, *quâ aliquæ illius competentiæ declarantur. Videnda etiam* ratione discrepantiæ, *quâ differentia ejus à nonnullis rebus assignatur. Hæc partim ratione rei ubicatæ, partim ubi prædicamentalis, partim operationis & effectus spectari potest. Ratione* rei ubicatæ *quæritur:* An esse alicubi realiter differat â re, quæ est alicubi, an ratione? Dn. Scheiblero *hæc distinctio indifferens est ad realē & rationis. Alicubitas divina ratione ab esse divino distinguitur. Creatæ rei ex natu. rei distingvi potest.* l. 1. Metap. c. 17. n. 18. *Duo hic probabiliter dicenda.* 1. Ubietas transcendentalis, *quæ est essentialis Entis extra nullibi collocatio, non differt realiter ab ente, cujus est, sed ratione & modaliter, ut modus transcendentalis à suo materiali, Ente, differre solet. De hoc* t. 24. 25. 39. ampliùs dictum. 2. Ubicatio prædicamentalis *de prædicamento Ubi differt realiter à re ubicatâ, tanquam accidens à*

suo

suo subjecto, cujus est. Superaddit enim rei 1. Accidens prædicamentale *afficiens substantiam prædicamentalem extraessentialiter, s. non essentialem ejus constitutionem ingrediendo. Entia a. prædicamentalia rebus accedentia realiter à rebus differre solent.* 2. Potest *tolli & subindè mutari in substantiâ prædicamentali, non variatâ intrinsecè ipsâ substantia. Sic ubi prædicamentale DEus ab homine tollere potest, ubietatem essentialem Ens insequentem non potest.* Vide. c. 53. *Et diversa ubi acquirit homo, & amittit, cum Romæ, Gedani, Parisijs &c, est, substantia tamen ejus internè non mutatur. Quod indicio est, ubicationes realiter à substantijs creatis differre.*

LIII. Ratione Ubi prædicamentalis *differt Ubietas transcendentalis; tanquam generale à speciali ori, transcendentale à prædicam. modus simplicissim⁹ & affectio essentialis Metaphys: ab accidente prædicamentali, realem compositionem cum suo subjecto inferente. Ubietas hic tractata est attributum* generalissimum, *omne Ens, ut Ens, necessariò comitans, ab ente creato ac increato abstractum, & ad utrumq; indifferens, ab quovis ente inseparabile.* V. c. 5. 6. *Ubi prædicamentale est attributum speciale, ens in quantum creatum est, consequens, & ad hoc præcisè determinatum.* Ubietas transcendentalis *non habet ubietatem, quâ sit uspiam, sed est ultima ratio, ens in genere alicubi & extra nullibi sistendi: sed ubi prædicamentale, etsi aliud ubi prædicamentale non habeat, in quo sit; ubietatem tamen essentialem admittit, quia ens actuale, fundamentale, species aliqua & inferior ratio entis, reale aliquod accidens substantiæ contradistinctum, non modus & attributum entis est, quod alicubi esse necesse est, cum nullibi esse non possit.* V. c. 5. 34. Ubietas essentialis, *de quâ hic, est transendentale quid, & ultraprædicamentale prædicamenta omnia & compositiones prædicamentales transcendens, non uni prædicamento determinatè inferendum. Ubi*

prædi-

prædicamentale uni & determinato prædicamento infertur, ultra quod fundi generalitate essendi non potest. Ubietas Metaphysica *est modus, cum ente ut subjecto suo nec realem compositionem, nec differentiam ab eo importans.* V. t. 24. 34. *Ubi prædicamentale & compositionem infert, quia accidens prædicamentale: & realem diversitatem, quia accidens prædicamentalem nunquam est ipsa subjecti essentia, sed realiter ab eâ diversum.* t. 52. Ubietas Metaphysica *dicit adesse spatio indifferenter sumpto, sive finitum id sit, sive infinitum, indifferenter ad utrumq; sumendo;* t. 27. *Ubi prædicamentale dicit adesse spatio finito & determinato tantùm,* t. 34. *Et una vice unum ubi tantùm dicit, cui aliquid adsit: Sed ubietas Metaphysica etiam adessentiam ad multa & infinita ubi simùl comprehendit.* V. c. l. Ubietas essentialis *competit rei in essentiâ spectatæ tantùm, etiamsi nullis instructa esset accidentibus. Sic si DEus substantiam aliquam finitam faceret, in essentialibus suis absolutam, sed omni accidente destitutam, illa alicubi esset, non nullibi, esset enim ens verum & actuale, cujus comes necessarius est ubietas essentialis. Sed ubi prædicamentale non haberet, præsupponitur enim omnibus accidentibus destituta. Ubi autem prædicamentale est accidens aliquod. Sic ubietatem essentialem habebit: ubicationem prædicamentalem non habebit. Sic ubietas transcendentalis omninò ab ubi prædicamentali diversa erit.*

LIV. Ratione operationis differt Ubietas, quòd nec ipsa formaliter sit operatio, nec præcisè in & de se operationem importet. *Non est formaliter ipsa operatio.* 1. Quia *de formali ejus conceptu & definitione non est operari, sed adessentiam rei in spatio qualicunq; notare,* t. 27. 2. Quia *aliquid alicubi esse potest, ut nihil ibi operetur. Sic chaos primi diei creationis fuit in suo ubi & spatio imaginario, ut nihil in eo operaretur. Sic lapis extra supremum corpus mundi à DEO ubicatus in*

vacuo, ibiq; sustentatus ubietatem ibi habebit, operationem nullam habebit. 3. Si alicubitas *est operatio, aut immanens erit, aut transiens. At neutra est. Non immanens, nam hæc est exsertio virtutis activæ in ipso agente. At ubietas tantùm adessentia in spatio est, non virtutis alicujus exsertio. Formales enim conceptus actionis immanentis & alicubitatis, ut tales, maximè sunt diversi: Et sic unum alterum non est. Nec transiens, nam hæc est influxus agentis in aliud sibi subjectum expressus. Ubietas autem sine influxu transeunte esse potest. Sic DEus ab æterno ante creationem ubiq; fuit, trãsitivè non operatus est. Sic extra mundum in spatiis imaginariis est, ubi nihil transitivè operatur.* 4. Si Ubietas *est præcisè operatio aliqua, E. aut ubietas determinata & finita, aut infinita illa erit. Sed neutra. Non finita, nam multa creata alicubi sunt, ubi nil operantur. Sic lapis, arbor, ferrum, in suis spatiis jacentia, nihil operantur; alicubi sunt, sed operatio eorũ non est. Sic homo otiosus in loco suo degere potest, & alicubi erit, operationẽ non habebit. Nec infinita. Nam DEus ab æterno ubiq; fuit, non transitivè operatus est. Et immanens operatio diversi planè conceptus formalis est ab ubicatione, ut ante dictum. Sic & extra summum corpus mundi ob infinitatem est, nihil ibi operatur externè. E. ubietas non est ipsa operatio.*

LV. Nec præcisè & de se operationem infert, *i. e. ex suâ naturâ & formali ratione non requirit ad essentiale complementum suum operationem aliquam, quatenùs generaliter & abstractè in Naturâ suâ, abstrahendo ab omnibus speciebus sub se contentis, sistitur & consideratur. Operatio prærequirit adessentiã: nec quidquam ullibi operabitur, ubi non præstò sit vel adessentiâ propriâ & indistantiæ, vel tropicâ & analogiæ, operativæ virtutis. Sed non ex adverso adessentia vel alicubitas præcisè operationem requirit.* I. Vel enim *operationem alicubi-*

tas infinita inferet, vel finita. Non infinita, *vel enim immanens actio, vel trãsiẽs erit. At neutra. Formale n. Vbietatis infinitæ est adessentia in spatijs infinitis, naturâ sui interminabilis: finitæ in spat. finitis, naturâ sui terminabilis. Operationis hic nulla mentione opus est, quando formale Vbietatis in se est exprimendum. Plura ex* t. 54. *patent.* 2. Si alicubitas *operationem præcisè importat, aut immanentem importat, aut transeuntem. Sed Neutram.* Non illam, *nam per alicubi esse res esse in spatio intelligitur, nihil ultrà. Non intelligere, velle, decernere, memorare, aut simile quid ex alicubitate præcisè res habet, nisi aliundè illud habeat. Sic DEus alicubi esse dictus spatiis adesse intelligitur. Vt intelligat, velit, decernat, &c. Ex ubietate non habet, sed aliis attributis ipsi competentibus. Idem in creatis rebus procedit.* Non hanc, *nam per ubicationem nulla res transitivè operari intelligitur, sed adesse. Sic DEus non intelligitur creare aliquid, quòd alicubi sit, sed quòd vim creatricem exserat. Homo non intelligitur verberare aut docere alium, per ubicationem, sed per virtutis verberatricis & doctricis in alium applicationem. Ita omninò diversa hæc, alicubi esse & operari aliquid, nec illud hoc præcisè inferet. E. nullam operationem alicubi esse importat.*

LVI. Tria *tamen hic ad ultimum nota.* 1. Aliud est, *an alicubitas præcisè & formaliter in seipsa distinctè ab alijs attributis universis sumpta, ad essentialis definitionis completionem operationem requirat. Hoc non est:* Aliud, *an quædam alicubitas, ut divina, ad clariorem & uberiorem sui intelligentiam mentione operationis ex sacris describi queat. Hoc fieri posse* f. 2. §. 24. 25. *dicetur. Sed non in formalem conceptum alicubitatis hoc inferendum: Sed ad meliorem intellectum tanquam consequens & affectio aliqua adjungendum.* 2. Aliud *est alicubitas divina, aliud præsentia, Hæc potest esse operationi juncta, &*

mentio-

mentione hujus in sacris interdum declaratur. Nunquam enim DEus præsens est otiosus, semper operosus. V. ſ. 2. §. 22. *Non tamen hinc colligendum, vel ipsam præsentiam formaliter & συνωνύμως esse operationem; sed παρωνύμως operosam: vel omnia, quæ ſ. literæ interdum rei tribuunt, statim essentialiter & formaliter de rerum formali conceptu esse, & sic de illis enuncianda esse: vel ipsam alicubitatem statim esse operosam, & ab ubietate ad operationem inferre licere, diversa enim hæc, ut t. 39. patuit, nec statim unum alterum infert. Pluribus hæc* ex ſ. 2. c. l. *constabunt.* 3. Vitiosè omninò *vel ab alicubitate, vel à præsentiâ ad operationem aut passionem specialem infertur. Vt, DEus ubiq; est etiam extra cœlum & mundum. E. & ubiq; ac extra cœlum & mundum se revelavit Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Mosi & Aaroni, ubiq; legem tulit, ubiq; duxit Israelitas in terram Canaan. E. & ubiq; creavit cœlum & terram, gubernat & conservat illa ubiq;, ubiq; judicium extremum exercebit, &c. Spiritus S. est ubiq;. E. ubiq; apparuit specie columbæ, effusus est specie lingvarum ignitarum, non solis Hierosolymis, &c.* λόγος *vel filius DEI est ubiq;. E. & ubiq; assumpsit sibiq; univit carnem, non in solo utero Mariæ. E. & ubiq; passus & natus est, ascendit in cœlum, non Bethlehemi solùm, vel Hierosolymis. Similis argutatio est hæc: Humanitas Christi in personâ verbi omnibus creaturis adest. Ergò & apud omnes nata est, passa, crucifixa, mortua, apud omnes ambulavit, ubiq; flevit, esurivit, comedit &c.* ἀτόπως *ex præsentiâ ad speciales operationes aut passiones infertur. Vt taceam, diversissimos Christi hominis status, vilem & sublimem, depressionis & evectionis, exinanitionis & exaltationis confundi, & de reb. ex uno, ad alterum inferri. De quo ſ. 2. §. 36. 37. pluribus dicetur. Hæc* de Ubietate in genere *ejusq; convenientiis, cum DEO, disceptata sufficiant.*

SECTIO SECUNDA.

De esse alicubi divino.

THESIS I.

UT in stadio decurrens munium satis explicuisse non censebitur, qui cursum inchoavit, sed in medio cursus aut substitit, aut prorsùs destitit: Sic in litterarijs velitationibus operi satisfactum non est, si opus inchoetur, nisi & ad umbilicum argumenti series deducta supremam scribentis manum persenserit. Cum ergò nostro de esse alicubi *tractatui manus operæ admota sit: ferenda jam ultrò sunt meletemata, variæq; rationes diversæq;, quas ambitu suo Ubietas concludit, perlustrandæ veniunt. At primò quidem* nobilior adessendi alicubi ratio *discutienda, infinita ac indeterminata,* DEO nostro glorioso *conveniens, nec principium adessendi habenti, nec terminos finemq; agnoscenti. De quâ hæc sectio cum DEO tractare intendet.*

II. *Ex generalissimis, abstrahendo ab finito & infinito, variandi modis* Ubietas *primâ statim fronte* in Ubietatem indefinitam s. interminabilem, & definitam seu terminabilem dividi potest. Indefinita est, *quæ terminari vel terminis definiri nullo modo potest. Estq; infiniti entis propria, ut DEI, & vocatur aliàs Ubiquetas.* Quibusdam Omnipræsentia.

III. *Quædam* in nomine Ubiquetatis *spectanda, quædam* in re. In nomine *ambiguitas, derivatio, & æquipollentia.* Ambiguitas: *Ubiquitatis nomen primitus á* Reformatis *detorsum est ad notandā diffusionem, extensionem, expāsionē p omnia loca, inclusionem in omnibus locis, spatijs, rebus creatis, quomodo præsentiam Christi hominis in hac terrâ oppugnando plerumq; ejusmodi præsentiam oppugnaverunt, ut* Sadeelis, Pierij, Grabij, Martinij, Parei, Zanchij, Timpleri, Keckermanni, Crellij, & Cha-

&Chamieri, Tigurinorum, Anhaldinorum, Geneuēsium, Heidelbergensium, Berlinensiū, *aliorumq́ scripta testantur. De quâ nobis nunquam aliquid in mentem venit, nec asserta est à quoquam nostrûm, nec asseretur unquam; quamdiu mens in corpore sana perstiterit.* *At usu venit voci* Ubiquetatis, *quod alijs non paucis contigisse scimus, Vt priùs abusui prauoq́ significato manciparentur, quàm ab sequiore sensu detersæ ad saniorem notandi rationem publico velut comitio traducerentur. Ita vocabulum* personæ *primitùs Latinis fictas in Comœdijs repræsentationes designavit. Vnde à personando origo data, Quòd personatores larvam sibi ad repræsentandum illum, cuius gesta cantarent, ponerent. Postmodùm à* S. Patrib. *ad sanctiorem usurpationem destinatum vocabulum ultimam intellectualis naturæ subsistentiam notare cœpit, quâ per seipsum aliquid subsistat, non in alio receptum hæreat, & in increatis, ut Summâ Trinitate, & creatis, ut angelis ac hominibus: Quomodo ex* Boëthio *hæc observat* Bellovisius tr. 2. term. c. 57. *Quam in rationem eleganter* Thomas: Quà id, unde origo nominis sumpta est, personatio Comœdica, non est in DEO persona: *benè quà id, ad quod significandum nomen impositum est, ut subsistentiam.* P. 1. q. 29. a. 3. *Sic vox* attributi *primùm in creaturâ dicta est perfectio accidentalis, essentiæ creatæ superveniens. Postea tamen ab imperfectione depurata, & divinis perfectionibus notandis adhibita est, ut* s. 1. §. 10. *notatum. Sic* relationes *primùm in rebus creatis, finitis, & accidētaliter compositis diximᵒ. Postea remotâ imperfectione & ad divina vocabulum traductum:* Generatio *primò de Physicâ & mutationem essendi importante productione dicta est. Postea & ad generationem divinam remotis imbecillitatibus est applicata. Idem Vbietatis,* V. s. 1. §. 51. & alijs *contigit vocabulis. Iam* Vbiquetatis *vocabulum ab imperfectione, imbecillitate, materialitate, localitate, extensione,*

sione, debilitate, quib. in creatis immersum aut conclusum est, remotum in divinis adhibemus, notatq; simplicem ac spiritualem in omnibus Ubi adessentiam, absolutè interminabilem, prout ex definitione postea patebit, §. 5 6. 17. *Sic* interdum *Ubiquitas sumitur pro adessentia in Cœlo & terra simùl. Ita Theologi DEum ubiq; esse docent, cum cælum & terram replere præsensente potentiâ, non absente naturâ, docent:* Interdum *pro adessentia in omnibus simpliciter spatijs, sive realia ea sint, ut in cœlo & terrâ, sive imaginaria, ut extra mundum. Hoc modo DEum ubiq; docent esse Philosophi cum Patribus quibusdam, ut* § 8. *patebit. Ita maximè hic sumitur.* Interdum *ubiq; esse Philosophis notat diffusionem per omnia singularia, quomodo Universale Aristotelei ubiq; esse dicitur, quòd simùl cum singularibus sit, in quibus naturali actu consistit. Singularia autem ubivis locorum sunt, & sic universale ubiq; per sua singularia est diffusum, ut* Goclenius Lex. Ph. *voce ubiq; annotat. Hæc Ubiquetas hujus loci non est.*

IV. Derivatio *vocis Ubiquetatis* Logica *nulla, est enim ultimatè abstracta, prioris significati aliquam non admittens, undè denominetur: Sed cæteris appellationem attribuit, ut ubiquetato, ut ita loquar, ubiq; adessenti.* Grammatica *est ab adverbio ubiq;, quod Philologis interdum & Comicis idem notat ac ubicunq;.* Terent. Hecyr. a. 4. f. 3. Isthic est sapere, qui, ubiq; opus sit, animum possis flectere. *Ubiq; pro ubicunq;. Sic* Iavolen⁹ in Iure Civili l. 18. digest. tit. 1. l. 77. *In lege fundi vēdūdi lapidicinæ in eo fūdo, ubiq; essent, exceptæ erāt. Pro, ubicunq; essent. Sic quisq;, quādoq;, interdū pro quicūq;, quādocunq; Latinis dicitur.* Petron. in Satyr: *Et quādoq; mihi fortunæ arriserit ora. Usitatè tamē Philosophis & Theologis pro ubivis locorū sumitur, ut* ubiq;, quasi ubiquaq; *dicatur, quòd nullis spatiorū intervallis sit sejunctū, quod ubiq; esse intelligitur.* Æquipollentia *vocis est,*

quâ

quâ dicitur etiam Infinita adessentia, infinitas, immensitas, quia à parte rei est ipsa infinitas ac immensitas; adesse repletivum, adessentia repletiva. Interdum *& Omnipræsentia, quia fundamentum ejus est, quâ omnipræsentia ut actus aliquis & exsertio, positis creaturis, sequitur. Accuratè autem differt ab eâ, ut ubietatem à præsentia differre dictum* s. 1. §. 39. *Et ubiquitatem absolutam ab omnipræsentiâ divina ut relativo quodam differre* s. 1. §. 48. 56. *notatum: partimq́ hac sect.* §. 20. 21. *notabitur. Græcis vox πανταχουσίας in Theologicis est usitata, à πανταχοῦ, ubiq́, quod habetur* Marc. 16. v. 20. ἐκήρυξαν πανταχοῦ, prædicaverunt ubiq́; *sc. Apostoli. Ne in hac materia vox Ubiquetatis ampliùs odium mereri dignum habeatur.*

V. In re Ubiquetatis *spectanda est definitio, competentiæ aliquæ, & discrepantia.* Definitio *esse potest*: Ubiquetas est essentialis & interminabilis entis infiniti in spatijs infinitis ubietas. *Dicitur ubietas, i. e. modus aliquis adessentiam ad spatium qualecunq́ dicens, in quo esse ubietatis cujuscunq́ consistere s. 1. dictum. Non solum adesse posse hic per ubietatem intelligendum: sed actualis adessentia. Ens enim infinitum non solùm infinitis ubi adesse potest, sed facto, quà infinitum, adest. Sicut non solùm infinitâ duratione persistere potest, sed facto persistit.* Essentialis, *ut ex essentiâ rei fluat, & necessariò competat, ubiq́ seu in omnibus ubi esse, nec possit non suâ naturâ & essentiâ necessariò ubiq́ esse. Ita soli DEo ubiquetas competit, qui per naturam & essentiam ita est ubiq́, ut non nisi necessariò, nec aliter nisi ubiq́ esse queat. Est enim infinitus essentia, virtute, & adessentia. Quod autem infinitum essentiâ est, nullibi abesse potest adessentiâ, & sic in omnibus ubi necessariò & essentialiter esse intelligitur. Hoc modo & attributum ἀκοινώνητον & incommunicabile est ubiquetas essentialis, quæ nulli rei creatæ communicari possit. Etsi enim creaturam aliquam omnibus locis*

cis à DEo præsentem sisti posse arbitremur, & specialiter id de humanâ Christi natura in subsistentiam divinam assumptâ & ad dextram DEi infinitam evectâ in articulo de personâ Christi asserere soleamus: nondum tamen essentialem DEi ubiquetatem ulli creaturæ assignari existimamus. Longè diversum enim est, in omnibus locis sisti: &, non posse non essentialiter in omnibus & infinitis ubi esse. Illud in creaturâ fieri posse largimur: Hoc ita soli DEo proprium fatemur, ut nulli creato competere posse arbitremur. Diversum etiam est, in omnibus spatijs cæli & terræ adesse posse: & in spatijs infinitis etiam extra cælum & mũdum adesse. Illud creaturæ per potestatem absolutam competere potest. Hoc soli DEo assignandum. Diversum, ab æterno in æternum simpliciter & incessanter ubiq; esse: aliud, certo tempore intervenientibus competentibꝰ requisitis omnibus creaturis præsentem statui, illisq; gubernandis majestaticè admoveri; Et si annihilarentur creaturæ, à præsentiâ creaturarum & regimine vicissim desistere. Illud soli DEo est proprium: Hoc humanitati Christi in tempore datum: & si destruerentur creata, vicissim sistendum novimus, ut ex Theologicis uberiùs de his disceptandum. Conf. §. 36. *Quædam* ex l. 4. §. 102. *patebunt, ubi de multipræsentiâ Christi hominis nonnulla adducentur.*

VI. Interminabilis, *ut simpliciter terminos nec inchoationis, nec desitionis, nec comprehensionis, aut ullius limitationis vel habeat, vel habere ullo modo possit. Non terminos inchoationis admittit essentialis DEi ubiquetas: quamprimùm enim DEus fuit, essentialiter ubiq; fuit, est enim essentia immensa & infinita. DEus autem simpliciter ab æterno fuit, nullum terminum inchoationis agnoscit. Æternitas enim est simplex permanendi interminabilitas, quà duratio entis infiniti nec terminata est, nec terminari potest, nec terminos habet, nec habere potest, & terminorum actualem, & terminabilitatis negationem totalem*

&

& omnimodam importat. Non terminos desitionis, quia simpliciter æternum simpliciter interminabile est, & nec facto desistit, nec ullo modo desistere potest. Æternitas enim & immensitas velut duæ propagines infinitatis sunt, mutuò sese explicantes, quod æternitas in duratione dicit, hoc immensitas in Vbietate. Illa negat terminos permanentiæ in inchoando vel desinendo: hæc adessentiæ. Illa terminabilitatis etiam negationem in permanendo dicit: hæc eandem in adessendo importat. Non terminos comprehensionis *aut alius limitationis: Nuspiam enim est DEus, ut ibi comprehendi, concludi, aut determinari possit, quasi extra illud non pateret: Sed ita est alicubi, ut & sit alibi: Ita in uno est spatio, ut non excludatur ab alio quocunq;. Est enim infinitus & immensus. Immensitatis autem est, nullis terminis constringi, vel ullo modo limitari posse. Vnde ens infinitũ est ubiq;, non συνεκτῶς & passivè, ut cõprehẽdatur: sed συνεκτικῶς & activè, ut comprehendat: non περιεκτῶς & περιγραπτῶς, consentivè, ambitivè, & circumscriptivè; sed περιγραπτικῶς, continenter & ambienter, ut ita loquar, ut non contineatur, sed contineat; non ambiatur, sed ambiat universa ποῦ & transcẽdat, nullis definiatur. Vndè Veteres:* DEus ubiq; est, & nusquam est. *Vbiq;, quia adessentiâ & indistantiâ nusquam abest: Nusquam, quia nullibi continetur & determinatur. Est intra cuncta, non inclusus, quia & extra ea est: extra cuncta non exclusus, quia à nullo distat & absens est.* Conf. §.18. *Hinc &* repletivè alicubi dicitur, *quod non mensuretur aliquo, sed universa ipse divino & ineffabili modo adimpleat.* Jerem. 23. v. 25. *Vnde Scriptura* activè *de DEO dicit, quòd pugillo aquas, & cœlos palmo ponderet, molem terræ tribus digitis appendat, & montes ac colles in staterâ libret.* Esai. 40. v. 12. *Quòd gentes quasi stillam situlæ, insulas quasi pulverem exiguum, omnes populos quasi nihilum & inane reputet,* v. 15. 17. Dan. 4.

v. 32. *Quòd orbem terrarum ut momentum stateræ & guttam roris antelucani habeat.* Sap. 11. v. 23. *Indicans, universum ad DEI ubiquetatem comparatum nullius momentum habere, adeóq; nullo spatio aut re limitari ac determinari immensitatem ejus posse.* Et passivè, *quòd cælis cælorum non capiatur*, 1. Reg. 8. v. 27. *ubi in Hebræo* כַלְכֵּל *comprehendit, continuit, cepit, est, notans, contineri, capi, aut comprehendi eum ullo spatio non posse. Idem* 2. Paral. 2. v. 6. c. 6. v. 18. *repetitur. Ad eundem modum* Patres *quidam DEum omnia implere dicunt, non ut omnia eum contineant, sed ut potiùs contineantur ab eo: non ut particulatim omnia impleat, ut quævis res per magnitudinem positionis suæ capiat eum, maxima majus, minima minùs: sed ut potiùs totus in omnibus sit, & omnia in ipso, cujus omnipotentia omnia concludat. Intelligendumq; esse eum intra omnia, sed non inclusum; & ideò interiorem, ut omnia contineat: ideò exteriorem, ut incircumscriptæ magnitudinis suæ immensitate omnia excludat. Per id, quod exterior est, ostendi esse creatorem: per id, quod interior, gubernare omnia demonstrari. Ut* Alcuini l. 2. de Trinit. c. 4. *verba sunt.* Prudentius in apotheosi, carm. 2. Ipse quidem in terris virtute & numine præsens semper adest quocunq; loci, *nec* pars vacat ulla Majestate patris, nusquam est genitor DEus absens. Thales *Philosophus omnia Deorum plena esse dixit, ut* Aristoteles 1. d. ani. c. 5. §. 85. *habet.* Hermes Trismegistus *DEum sphæram intellectualem dixit, cujus centrum sit ubiq; peripheria verò nusquam.* V. Apulejum in Asclepio.

VII. In spatijs infinitis, *id est, & quæ dentur de facto, adeóq; realia sint: & quæ dari saltem possint, adeóq; imaginaria. Quod immensum est, & spatijs realibus omnibus, quæcunq; hoc Universum habet, ob immensitatem essendi indistanter adest, & præter hæc imaginarijs omnibus, extra, ultra, citraq; univer-*

sum

sum cogitatis adesse debet: ne infinitas essentiæ spatiis Universi contineri & concludi putetur. Probaturq́ hoc partim Scriptura, partim ratione, & authoritate aliorum. Scripturâ, *quæ* & negativè *DEum cælis Cælorum non posse capi ait, & universum ad eum collatum puncti & nihili instar esse dicit, Ut* c. 6. *ostensum:* & positivè *excelsiorem eum cælis, ac profundiorem infernis esse affirmat.* Job. 11. v. 8. c. 22. v. 12. *Et locis maximè oppositis, cælis & infernis adductis. Indeterminabilem ejus ubiquetatem insinuat.* Psal. 139. v. 7. Amos 9. v. 2. *Unde tale argumentum exsurgit: Cujus essentia ad mundum comparata pro nihilo eum ducit, nec eo ullo modo capi potest, ea ultrà eum patet, & sic amplitudine sui extra spatia ejus, qualiacunq́ illa sint, porrigitur. Secus non rationem nihili Universum ad talem essentiam obtinere posset. Sed essentia divina ita se habet, ex dictis. E. ultra spatia mundi hujus porrigitur.* Ratione *1.* Si *Ubiquetas divina constringitur spatiis cæli & terræ, E. non est absolutè infinita & immensa. Cælum enim & terra, & universus mundus adhuc sunt & manent finita. Nam absolutè immensum nullis terminis simpliciter constringi potest. Sed est absolutè infinita, Essentia enim divina absolutè est infinita, ut* c. 14. *patebit. At essentiam sequitur essentialis ubietas, quæ ab essentia non differt realiter, ut* §. 1. *visum. E. spatiis cæli & terræ constringi nequit. E. ultra cælum & universum patet.* 2. Quomodo *se habet æternitas divina ad negationem terminationis permanentiæ: ita ubiquetas ad negationem terminationis adessentiæ. Sunt enim velut duæ propagines infinitatis, in negatione terminorū & terminabilitatis pares,* c. 5. *Et æqualis perfectionis, ut quam rationem æternitas ad temporum varietatem habeat, eam ubiquitas ad locorum differentiam sortiatur. Sed æternitas divina terminos permanendi universos negat, ut non solùm duratione universi non terminetur, sed & in infinita momenta durationis an-*

te creationem mundi, & sic tempus imaginarium, extendatur. E. & ubiquitas terminos adessendi universos negare debet, non qui in universo hoc tantùm sint, sed & qui ultra illud in infinitum cogitari possint. E. & eam absolutè interminabilem & ultra universum hoc extendi oportet. E. & DEus in infinitis spatiis ultra citraq; universum existet.

IIX. 3. DEus est id, *quo nihil majus potest cogitari. Sed si extra mundum non esset, posset eo majus aliquod cogitari, spatium nempè ultra mundum, quod absurdum. E. & extra mundum esse oportet.* 4. Potest *DEus extra mundum operari, si velit, v. g. corpus aliquod aut spiritualem substantiam creare & conservare. Ubi operari autem potest, ibi eum adesse oportet, operatio enim divina semper prærequirit ponitq; adessentiam, nec ullibi DEus absens operatur, sed præsens, etsi adessentia non statim inferat operationem.* V. f. 1. c. 33. 54. 55. *E. & in spatiis imaginariis extra mundum DEus aut semper aderit, aut adesse incipiet, cum aliquid ibi creat. Non hoc, acquireret enim per motum aut aliam rationem ubi novum, à quo antehac absens fuisset, quod mutationem realem inferret, quæ in DEO non cogitanda, ut alibi ostensum.* Dec. 1. misc. d. 6. t. 8. *E. illud, & semper in spatiis illis imaginariis per essentiæ infinitatem existet. Similiter potest DEus annihilare spatium inter cælum & terram interjectum, utroq; extremorum conservato. Tum adessentia divina, quia infinita, omninò etiam ad medium illud spatium vacuũ se extendet, & ad extrema, quæ sine præsente DEI sustentatione non conservarentur. Secus DEus à seipso divisus foret, & adesset extremis, destituto medio interjacente spatio. Si DEus isti spatio aderit, E. & spatium aliquod imaginarium datur, & DEus in spatiis imaginariis aderit.* 3. Authoritate. *Trismegisti & Alcuini dicta* c. 5. *adducta sunt. Idem* Trismegistus c. l. *DEum supra verticem summi cæli consistentem ubiq; esse, omniaq; cernere*

nere ait. *Aristotelem & Platonem idem docere* Ficinus l. 2. d. ani. immort. c. 6. & Eugubin. l. 4. de peren. Philosoph. c. 1. 2. *docent. Aristotelis verba* l. 1. d. cæl. t. 100. *sunt: Quæ extra Cælum sunt, inalterabilia & impassibilia, optimam & per se sufficientissimam vitam habentia, toto ævo perseverant.* Patrum *eadem est sententia.* Dionys. d. diu. nominibus c. 1. *DEus est in mundo circa mundum, & supra Cælum.* Bernhard. serm. d. verbis Habacuc: *DEus nusquam est, nec abest ulli, nec ullo capitur loco.* August. l. 11. d. civit. DEI c. 5. *ex hypothesib⁹ gentilium:* An fortè substantiam DEI, *ait, quam sicut de DEO sentire dignum est, fatentur incorporeâ præsentia ubiq; totam, à tantis locorum extra mundum spatijs absentem esse dicturi sumus, ut in uno tantùm, & comparatione ipsius infinitatis tàm exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor, eos in hæc vaniloquia progressuros. Postea illa loca extra mundum cogitare inane ait, sed intelligit reale quid extra DEum existens, quale nuspiam est. Veteres interminabilem DEI Ubiquetatem versu notârunt:* Enter, præsenter, DEus hic & ubiq; potenter. *H. e. DEus infinitate essentiæ, adessentiæ potentiæ, in omnibus ubi est, quæcunq; esse possunt. Eleganter* Hilarius in Psal 119. v. 151. scribit: *Non corporalibus locis DEus continetur, neq; finibus aut spatijs divinæ virtutis immensitas coarctatur. Plura Patrum testimonia* ap. Suaretzium d. 30. Meta. s. 7. n. 30. 31. D. Gerhard. exeg. d. DEo §. 175. Pinedam in c. 22. Iobi v. 12. n. 6. *alios q; vide. Ex Nostratibus* Winkelman. append. Gies. d. 8. t. 13. *DEus etiam extra hunc mundum esse dicitur, quemadmodum dicta Scripturæ testantur.* Job. 11. v. 8. c. 22. v. 12. 1. Reg. 8. v. 27. Ps. 145. v. 3 ait. *Et sic Nobis consentit.*

XI. Oppositum *sententiæ sentiunt quidam, partim Veterum, partim Recentiorum. Quidam etsi DEum infinitum & immensum credant, ultrà mundum tamen esse negant, etsi in spatijs*

imaginarijs esse posse non negant. Ex Vetustioribus ita Capreolus, Scotus, Durandus, Bonaventura in l.1. sent. d. 37. Lychetus, Bargius, Marsilius, Gillius ap. Tannerum p. 1. Th. Schol. d. 2. q. 4. p. 4. Alexander & Altisiodorensis ap. Masium in l. 4. Phys. s. 2. q. 1. Aquarius & Argentinas ap. Scheibler. 1. Meta. c. 17. n. 25. *Ex Recentioribus* Vasquius & Moncæus ap. Arriagam d. 14. Phys. n. 68. *Alij DEum cœlis concludi putabant, nec esse in terris, nec ubiq́. Quam Ægyptiorum & Arabum fuisse sententiam ex* Eusebio *tradit* Pineda c. l. n. 4. *Illudq́ ab Ægyptijs hausisse* Aristotelem & l. de mundo c. 6. (*Si tamen Aristotelis ille liber est,*) l. 1. d. cœl. c. 3. t. 22. *ac alibi docuisse existimat. Iudæi putârunt, invisibilem & incomprehensibilem DEum templo Hierosolymitano posse concludi, ut de illis* Hieronymus in c. 66. Esaiæ *scribit.* Ex Novellis Arminiani *etiam huic sententiæ de spatijs imaginarijs extra mundum iniquiores videntur,* ut Apologia c. cens. Leidens. c. 2. p. 42. 43. docet. *Nuspiam in Scripturis, aiūt, legitur, DEum secundùm essentiam suam ubiq́ esse, nedum secundùm essentiam suam extra cælum & terram in spatijs omnibus, etiam imaginarijs, esse.* Post: *Quis atopicam & atomicam istam essentiæ divinæ non tantùm in cælo & terrâ, in cloacis, idolis, diabolis, inferno ipso, sed extra cælum & terram in spatijs etiam imaginarijs, quæ non constat uspiam esse, & quæ fingi necesse est, & ficta quid sint, intelligi non potest, sic comprehendit, ut non hæreat, stupeat, tremat, & horreat? Ab istis sanè facilis prolapsus est in Atheismum?* Vorstius *similiter dubitat, & alienum se ab spatijs imaginarijs ostendit, ut ex* Apolog. exeg. c. 16. p. 77. c. 18. p 93. patet. *Quanquam alibi illorum sententiam se non probare ait, qui D E V M hoc universo concludi asserunt.* p. 1. resp. c. Slad. c. 2. §. 37. *Nonnulli & Nostrorum eò inclinant, ut putent, DEum extra Cælos in spatijs imaginarijs extra mundum non ponendum. Quanquam*

quam non tàm de re, quàm modo loquendi sentire videantur. Non scilicet ita loquendum : DEus extra hunc mundum in spatijs imaginarijs est præsens, cum nulla ibi DEi sit operatio, quæ in præsentiâ divinâ semper complicetur. V. T. 7. Giess. d. 26. t. 112. 113. T. 6. Giess. d. 17. t. 11. D. Feurborn. fasc. 1. disp. 2. t. 53. 54. *aliosq. Res ipsa, si distingvantur distingvenda, facilem habet explicationem, Et.* t. 10. *ulteriùs patebit.*

X. *Lustremus jam quædam, quæ contra statutam à nobis sententiam moveri à diversis possunt.* Dices 1. Scriptura *ita non loquitur, DEum esse in spatijs imaginarijs extra mundum. E. nec Christianis ita loqui fas est, quos non decet sapere ultra id, quod scriptum est. R. Scriptura non ita loquitur expressè & apertè: insinuat tamen aliquid, ex quo sequitur, ad declarandam immensitatem DEI simpliciter interminabilem ita loqui fas esse. Ita quoties DEum immensum esse, & cælis cælorum non capi posse asseverat,* V. t. 6. *Insinuat, spatijs cælorum & terræ eum non cludi. Vltrà ergò illa per immensitatem essendi existere oportet. Sic non dicit, DEum ante mundum in momentis imaginarijs infinitis extitisse. Insinuat tamen id, quoties simpliciter æternum ipsum & ante mundum fuisse dicit.* Ps. 90. v. 2. *Durationemq. ejus absolutè interminabilem indicat. Christianus non debet sapere ultra id, quod scriptũ, vel quà sonũ, vel sensũ & consequentiã. Hoc bonâ consequẽtia in scripturâ haberi colligitur.* 2. Atheologum est, *DEum locare in spatijs imaginarijs. Nulla enim ratio postulat, in Theologiâ imaginari id, quod non est. Axioma verum in Logicis est, quod pronũtiat, ut res est, non ut nostra imaginatio est. E. in Theologiâ hæc locũ habere non possunt. R. Multa hic distingvẽda, quæ confusa sunt. 1. Si atheologũ, DEum extra mundũ locare, etiam atheologum, DEum immensum dicere. Immensum enim mundo non limitatur: etiam atheologum, durationem ejus ad momenta imaginaria ante mundum conditum extendere,*

quod

quod tamen ad designandum totalem DEI æternitatem defectu meliorum vocum facere cogimur. 2. Ambiguum est, imaginari nobis, quod reverâ non est. Si de ipsis spatijs imaginarijs intelligatur, verum est. Illa enim non sunt. V. f. 1. §. 28. *Si de adessentiâ vel existentiâ in istis spatiis, falsum. Verissimè enim per essentiæ infinitatem ibi est, etiam nobis non imaginantibus.* Aliud spatium, aliud esse in spatio, quod modus realissimus, etsi spatium ipsum non reale. f. 1. §. 29. *Et immensitas divina ratio est, cur talia spatia nobis imaginari cogamur. Non enim aliter illam aut concipere, aut satis explicare valemus, nisi, terminis mundi eam non cludi, sed ultrà patere, concipiendo. Quod in Theologiâ reprobari non debet.* V. t. 5. 6. 3. *Ambigua etiam, vel incompleta axiomatis veri ex Logicis definitio est, Verū est, quod pronūtiat, ut res est, sed non præcisè ut res absolutè est, sed & ut in distinctis nostris conceptib⁹ est. Vnde totaliter axiomatis veri definitio sic formanda:* Axioma verum est, quod dicit, ut res est, vel reali vel notionali consideratione, *vel in re absolutè, vel in ea sub distinctâ & meliore nostrâ consideratione, ut alibi monitum. Benignitas, Veritas, justitia, misericordia, æternitas, & sapientia, in DEO non sunt eadem, sed in distinctâ & præcisiva nostrâ cōsideratione diversa, verissimū est: fundamentū n. veritatis in varijs reb⁹, objectis, modis, effectis, invenit, ut* dec. 1. misc. d. 4. t. 11. 12. *ostendi. Etsi in reipsâ absolutè, ut res est, sumptâ, non sit verum, sed unum simplicissimè sit alterum, essentia nimirum divina. Ita unum non esse bonum, verum, aut perfectum in ente, verissimum, sed in Logicâ & distinctâ nostra consideratione. Hæc c. l. pluribus ostensa. Nec ob id falsus noster intellectus, sed verus. Ita etiamsi DEus in spatijs imaginarijs extra mundum esse dicatur distinctâ nostra & meliori concipiendi ratione, ut eò meliùs immensitatem divinam explicemus: Non ob id falsitatis hoc postulandum erit, qui in alijs attributis*

divi-

divinis distincto nostro concipiendi modo definitis id admitti scimus. Sed cum realiter eum ibi esse per immensitatem sciamus, eò minùs pro merò vostro conceptu & imaginatione in Theologia id habendum est.

XI. 3. Præsentia divina *in Theologicis & Biblicâ definitione vel est ipsa præsentis DEI apud creaturas operatio, vel operationi jūcta & operosa, nūquā otiosa. Sed in spatijs iāginariis nulla est DEI operatio. Non universalis, non gratiosa, non gloriosa. E. nec ibi præsentia ejus est, & consequenter non dicendus in spatijs ultramundanis esse. R. Aliud ubiquitas DEI & immensitas, aliud præsentia, velut aliud ubietas, aliud præsentia.* f. 1. §. 55. Ubiquitas divina *est attributū absolutum & æternū, nullas creaturas respiciens, sed absolutè in Deo etiam ante creaturas conditas locum habens, etiam in eo, si omnia creata annihilarentur, manens, immensitas essentiæ divinæ interminabilis & in spatijs infinitis velut existens cogitata:* præsentia divina *est modus aliquis creaturis positis consequens, extensio nempè & approximatio DEI ad creaturas, ex immensitate essentiæ divinæ velut exertio quadam fluens, quæ creaturis existentibus cœpit, annihilatis īstis vicissim desinet. In spatijs ultramundanis est DEus per essentiæ immensitatem: propriè loquendo præsens illis non est. Hoc enim dicitur ad alia coexistentia, quæ simùl sunt, quibus aliquid est præsens. Spatia autem ultramundana non existunt, sunt enim tantùm imaginaria & entia rationis, non realia. Non ergò & illis præsens aliquid dici potest. Ita rectè Theologi negant, Scripturam sic loqui: DEum extra mundum præsentem esse. Nam cui præsens sit, ubi nihil est?* V. T. 6. Gies. d. 17. t. 11. *Et omninò accuratè loquendo ita dicendum non est. Est ibi DEus* per simplicem existentiam *& adessentiam*: non per respectivam *& veram ad aliquid* præsentiam. V. t. 21. 22. *Hoc est, q̃ alij inter intrinsecā seu absolutā præsentiā & relativā ad spa-*

um, à quo aliquid realem habitudinem & denominationem accepit, distinguūt. Sic nō esse, quia illa spatia nō sint realia. D.Gerh. ex d. DEO §. 186. Becan. p. 1. Th. Sch. c. 6. q. 2. n. 3. Prætorius p. 2. Meta. s. 10. Canon. *1.* V. sect. 1. §. 40. *Deinde sive præsentia DEI sit operatio, sive semper operosa, sive neutrum horum, ut alij volunt, de quo postea* §. 23. seq. *videbitur, à negatâ præsentiâ divinâ ad ubiquitatem negandam non procedi debet. DEus ab æterno ubiq; in seipso fuit, etsi nulli rei præsens fuerit, nec quidquam extra in aliud operatus sit. Ita licet in spatijs ultramundanis nihil operetur, est tamen ibi infinita & absolutâ suiipsius existentiâ, non enim abest inde: etsi non adsit relativa vel etiam operosa præsentiâ, quia nec aliquid ibi est, cui præsens esse possit: nec in quod extra se operari possit.* Deniq; *non sequitur, si DEus in spatijs istis nihil agat, otiosum fore. Hic n. is, qui cum debeat ex officio agere, non agit. Sed quod DEO ibi operandi officium incumbat, & quinam debitorem faciat? Non operosus ibi est, q inter negotiosum & operosum medium intercurrit, & de DEO commodè enunciatur, ut & in tempore imaginario ante mundum ab extra non operosus fuit, non tamen otiosus.* Conf. t. 28.

XII. 4. Extra esse, *alibi & alicubi esse, notant locum, sunt enim vocabula loci. Et sic si DEus alibi est, quàm in mundo, extra mundū erit locus à DEO distinctus q extra mundum non est. R. nec DEo extra illum esse dici potest. R. τὸ* extra alibi, alicubi, ullibi, *notant locū in quo sit. Sed tale quid extra mūdū, si in rigore sumātur. Sed verba interdū generalius & secundùm eā potestatē sumenda, quàm in rebo, de quib. usurpantur, habere possūt. Ut* dec. *1.* disp. *1.* t. 39 40 *ostendi. Ita ubi locus & spatia realia nō sunt, ibi supra, extra, alibi, &c. usurpatum, locum notare non potest, sed negativè accipienda sunt tales voces, ut extra & supra notet non intra tantum, alibi, non hic tantùm, alicubi, non ibi tantum,*

tum, ut limitationes & terminationes negent istæ voces, non ad alia loca positiones inferant. Sic DEus est extra & supra mundum, non ratione situs & positionis, q. locus ibi esset: sed excessus & eminentia, quòd essentia ejus adeò sit immensa, ut nec mundi spatiis terminari possit. Ita Richardus & Bonaventura *olim responderunt* ap. Tanner: c. l. n. 9. *DEus est in mundo, sed non tantùm: Non circumscribitur mundo; sed* & in seipso extra & supra mundum, & independenter ab omni mundo in seipso est. *In alio extra mundum esse non potest, sed in se. τὸ in se non locum, sed independentiam ab alio loco, inexplicabilem immensitatem, & perseitatem existentiæ DEI, notat. Hoc Veteres versus insinuant:* Dic ubi tunc esset, cum præter eum nihil esset? Tunc ubi nunc in se, quoniam sibi sufficit ipse. 5. In nihilo non potest *propriè aliquid esse dici. Nam alicubi esse importat habitudinem ad illud, & denominationem realem ab illo, in quo esse dicitur. Unde Bonaventura 1.* dist. 37. q. 2. *stultum ait esse, dicere DEum in eo esse, quod nihil est. Sed spatium imaginarium est nihil. R. In nihilo nequit aliquid esse, sc. tanquam in loco reali à seipso distincto: benè tamen tanquam in seipso ullibi existente. Sic DEus extra mundum creatum in nihilo præter seipsum est. Sic lapis à DEO extra mundum creatus in nihilo ubicaretur, præter semetipsum, in quo simùl ubicationem suam essentialem haberet.* Conf. s. *1.* §. *31.* 6. Si DEus *in spatio imaginario esse dici potest, etjam in privationibus, cæcitate, surditie, esse dici poterit. Sed hoc DEO indignum. E. & illud. R. Non est par ratio,* V. s. *1.* §. *31.* 7. Ut spatium est *ens rationis nostræ, ita inexistentia DEI in illo similiter tantùm erit conceptus noster. E. non realiter in DEO ita hoc se habebit. R. Negatur consequentia. Habitudo & respectus transcendentalis verus esse potest, etiamsi terminus ejus sit nihil, aut ens rationis*

V. l. c. §. 29. 8. Immaterialia *non sunt alicubi, nisi per operationem. Sed in spatijs imaginarijs DEus nihil operatur. E. Ro. Antecedens falsum. Et per ubietatem essentialem in ubi suo, quo definiuntur, sunt, ut c. 3. §. 15. patebit. Et licet in spatio imaginario DEus nihil operetur extra se: potest tamen in illo operari, quod satis est ut ibi adesse, h. e. ob immensitatem essentiæ non abesse intelligatur & denominetur.*

XIII. *Hæc circa voces definitionis,* in spatijs infinitis, *sint explicata:* Ultimò *dicitur Ubiquetas,* Entis infiniti Ubietas. *Ens in Metaphysicis in finitum & infinitum dividitur. Finitum est, quod essentia & attributis finitis constat. Infinitum, cui terminos habere simpliciter repugnat. Qualis illa divisio sit, & an immediata, an medium aliquod inter finitum & infinitum interveniat, ut diversis, quanquam diversis hypothesibus, modis, & finibus, visum est, in Metaphysicis uberiùs disquiritur.* Ubiquetas est entis infiniti propria, *i. e. ejus, quod nec terminos essendi, adessendi, operandi, permanendi, perficiendi, similiumq; attributorum habet, nec per ullam rationem aut modum habere potest. Adeoq; cujus & essentia terminos respuit, & universa attributa essentiam consequentia, eiq; identificata. Tale ens solum DEum & Trinitatis Personas, ut una numericâ essentiâ identificantur, esse fides Christiana confitetur. Secundùm illud Symboli Athanasiani:* Immensus pater, immensus filius, im̃ensus Spiritus S. & tamen non tres immensi, sed unus immensus. *Adeoq; DEus & essentiâ infinitus est, & in omnibus attributis essentiæ identificatis, ratione bonitatis, scientiæ, potentiæ, perfectionis, durationis, ubietatis, &c. Præcipuè duo modi infinitatis in eo sunt,* durationis, *unde æternitas, &* ubietatis, *unde ubiquetas exsurgit.*

XIV. *Esse autem* DEum nostrum Ens verè infinitum, negativè, non privativè, *i. e. quod terminos nequeat admittere,*

vere, non solùm, quod non habeat, possit tamen habere, & solum esse talem, quia nonnullis *in dubium vocatur, à quibusdam insufficienter confirmatur, brevibus hîc deducendum & confirmandum.* *Probatur id* partim Scripturâ, *ut Psal. 145. v. 3. Magnus Dominus & laudabilis nimis; & magnitudinis ejus non est finis.* Baruch. 3. v. 24. *Magnus est, & non habet finem: excelsus & immensus.* Job. 37. v. 23. *Dignè DEum invenire non possumus: magnus fortitudine & judicio, & enarrari non potest:* Partim Naturâ, *quia & summè perfectus est, ut nullus modus aut gradus perfectionis ipsi desit. At omnimodè perfectum etiam infinitum est. Ideò enim creata finita, quia gradus aliquis ulterioris perfectionis ipsis deest. Sic angeli & Spiritus etsi summi creatorum, finiti tamen, quia supremi gradus, ut prima causalitas, increatio, independentia, summa simplicitas, ipsis desunt. Et simpliciter primus est DEus, à nullo dependens. Quod autem à nullo dependet, absolutum est, ut nec addi quidquam, nec demi illi possit. Quod autem tale, infinitum est.* Oppositum tenent partim Photiniani, *infinitatem essentiæ & essentialis adessentiæ divinæ variè negantes, ut ex* Smalcio disp. 1. c. D. Frantzium c. 8. & d. 3. t. 74. Socino defens. d. invoc. Christi c. Fr. David. c. 14. §. 1. & defens. animadv. Posnaniens. c. 3. §. 2. & in fragment. Catechet. part. 1. c. 2. p. 157. 158. Piscecio resp. ad 2. ration. Campiani p. 24. Smalcio c. Smiglecium de diu. verbi natu c. 3. p. 30. Moscorovio in ref. appendic. Smiglecii p. 20. *apparet:* partim Arminiani, *ut ex* Episcopio, Geisterano, Slatio, & Apologia Remonstrantium c. cen. Leid. c. 2. p. 42. 43. *adductis eorum verbis ostendit* Peltius in harmon. ar. 3. § 4. partim Vorstius, *variis in locis, sed diversimodè.* Interdum *apertè negando, DEum simpliciter essendo aut operando infinitum esse, quamvis ita respectu nostri dicatur, Ut* not. ad disp. 3. c. 8. 9. p. 214. 216. 217. *&*

argumenta omnia pro infinitate substantiali DEI adduci solita infringendo, p. 212. 213. Interdum *variè limitando & restringendo infinitatem illam, & eatenus DEum in seipso finitum dici posse asserendo, quia essentiam propriam, certam, & ab omnibus aliis essentiis distinctam ac secretam habet, quà per aliquem saltem* ὁρισμὸν *ex ipsâ naturæ divinæ proprietate extructum definiri queat*. apol. exeg. c. 18. p. 93. *Finitum DEum non verbaliter vel participialiter, sed nominaliter dicendo. i. e. definitum, certum, distinctum, proprium, ut incerto, vago, communi, confuso, opponatur*. c. l. p. 94. DEO suum quendam peculiarem ὁρισμὸν *s. propriam definitionem reverâ tribuendo, ne quolibet modo & sensu infinitum esse ostendatur*. p. 92. *An infinitus sit instar puncti individui, an nullam propriam formam & specificam differentiam habeat, an & extra universum per spatia imaginaria in immensum extendatur, dubitando, & ad oppositum inclinando*, p. 93. Interdum *varias excusationes parat, non rem ipsam, immensitatem essentiæ & potentiæ DEI, sed incertas tantùm Scholasticorum hypotheses, incertos modos, & humanitùs adjectas determinationes, periphrases, se negare, nec definiendi, sed inquirendi animo hæc in dubium vocare. Ignorantiam se fateri, necessitatem fidei abesse hic censere, & quæ similia sunt, quæ* not. ad disp. 3. p. 217. Orat. Apolog. p. 16. 17. 18. §. 1. Exeg. apol. c. 16. 17. 18. appendic. c. Becan. §. 1. apol. resp. c. Hommium §. 6. Schol. alexic. c. Lubbert. §. 16 p. 1. c. Sladum. c. 1. §. 2. 39. 50. 51. 52. 59. 60. 64. 65. seq &c. 2. in parasceve ad collat. cum Piscatore, p. 2. c. 3. & *alibi pro se producit*. Rationes, *quas pro se adducit, resolvit* D. Grauverus Cent: qu. illustr. d. 1. q. 6. Becanus p. 1. Th. sch. tr. 1. c. 5. *Tipulâ leviores sunt, ut illis immorari nil attineat*.

XV. *Ex Scholasticis ab eodem* Scotus, Durandus, Mirandulanus, *aliiq. adducuntur, qui essentialem DEI infinitatem &*

immensitatem aut in dubium vocant, aut determinant. app. I. ad. part. I. Sladi. §. 93. 94. seq. Bodinus l. 4. theat. p. 512 Mirandulanum *in positionibus confiteri ait, nondum sibi liquere, DEum habere essentiam infinitam.* Scotum in l. I. sent. d. 2 *fateri, demonstrationem de infinitâ DEI essentiâ sibi deesse, Vtidem* p. *1.* c. *1.* §. *25.* *adducit.* Conf. & c. 2. §. *38.* *Contra hos disputantem vide* Alstedium p: *1.* Th. Natur: c. *7.* § *7.* *Etiam ex* Anabaptistis *quosdam huc inclinare* appendic: *1.* §. *122.* tradit Vorstius, *quod* §. *23.* *videatur.* *Etiam* Clemens Alexandrinus ex l. *1.* & 2. strom: *allegatur, qui deum essentiâ procul abesse, potentia verò proximè adesse scribat,* resp: c. Hommium §. *6.* p. *13.* Reformatorum quidam *similiter DEum, cum essentiâ dicitur ubiq; esse, essentiæ vocem non omninò propriè accipi ajunt, sed pro majestate quadam verâ & essentiali, quâ omnia repleat, nec plenitudinem Deitatis ubiq; esse realiter ac substantialiter, quomodo* Pincier⁹ tr. 4. d. Euch. l. 2. p. *370.* *371.* *loquitur: Et ad eundem modum de substantiâ DEI in omnib. locis dubitare videtur* Oecolampadius in c. *23.* Ierem. v. *25.* *Ex* Danæo & Bezâ *similia allegantur* T. I Gies: d. 9. t. 9. *Et apud* D. Gerhard. d. 5. d. glor. DEI t. *16.* D. Hutterum. Iren. c. 28. art. 5. videri possunt. *Scio, quas defensiones hic parent* Crocius p. 2. Con. Pruc. c. 5. Pareus c. 28. Iren. art. 5. *alijsq;.* *Mens fortassè sentientium est commoda: Etsi modi loquendi periculosi.* Tertullianus DEum ubiq; esse non essentiâ, sed vi & potestate, *ait. Sed potentialis præsentia non tùm opponenda essentiali, sed gloriosæ & gratiosæ. Sic DEus non est in inferno. Vide* Crocium c. l. Becanus Calvinistis *indifferenter tribuit, quòd DEum negent esse infinitum, & ubiq; præsentem: & incertum dicant, an secundùm substantiam DEus alibi, quàm in cælis sit, in* exam. plag. R. Graseri c. 1. §. 2. *Sed malè omnibus imputatur, quod paucorum errore sentiendi, aut loquendi inaccu-*

ratione

ratione commissum est. Rectiùs, quanquam nec hoc prorsùs ex vero, Cum & Plotinanos ac Arminianos *similia sentire* §.14. *ostensum sit, & quosdam Reformatorum eo inclinare* hoc §. *dictum, solum* Vorstium *Calvinistam ita sentire* Idem *tradit*, p. 1. Th. Sch. c.5. tr. 1. §.1. Unde Pareus in Irenic. c. 1. *dogma hoc à se suisq; amolitur, & vertumni cujusdam, (quo* Vorstium *notat,) nihil ad suos pertinens esse ait. In loco de attributis divinis universa hæc materies ampliùs disceptanda venit.*

XVI. Unum *hic moveri possit alicujus momenti dubium, quodq; in hac materiâ vulgò adduci non solet, Eoq; hic adducendum, & fontes solutionum ostendendi.* Dices: Si DEus simpliciter infinitus, & terminos absolutè non admittit, quomodo tota plenitudo divinitatis habitat in Christo corporaliter, *i. e. ut ex nostris hypothesibus deducitur, ita in humanitate Christi est, ut nullâ ratione sit extra vel ultra eam, sed in eâ velut in proprio corpore & templo quiescat & contineatur. Est enim in eâ per totalem perichoresin & immeationem, ac circumincesſionem. Estq; unio totius cum toto, totus logos unitus est toti humanitati, non totius cum parte, vel partis cum toto, vel partis cum parte, Vt ex* Reformatis Sohnius fatetur, T. 2. op. p. 207. *Vnde repudiantur à Nostris* omnia ista similia, in quibus non est unio totius cum toto, ut Oceani & Antverpiæ, *capitis & pedum, annuli & gemmæ, Planetæ & orbis, asseris & ligamenti, manus & gladii aut lanceæ, &c. Quorum autem unum est in altero per totalem circumincesſionem, non est extra illud, quãdiu immeatio totalis manet. Sic anima in corpore non extra illud, est, quamdiu immeatio totalis durat. Si non extra eam est DEus λόγος, Ergò utiq; finitur & terminatur unâ ista humanitate, tanquam singulari exemplo, Vt extra aut ultra eam non reperiatur. Quod a. ita concluditur in uno, ut extra non sit, illud omninò finitur.*

DE ESSE ALICUBI
EXERCITATIO QVARTA.
De Competentiis Vbiquetatis.
THESIS XVI.

Respond. PETRO WINTERO, Lubecens.

AD *allatum argumentum* responderi *potest*, 1. Perinde hoc arguitur, *ac si dicas: Si DEus simpliciter infinitus, quomodo personaliter uniri humanitati potuit, ut cum eâ unum insegregabile ὑφιςάμενον constitueret? Ita tota unio personalis neganda, aut in dubium vocanda erit. Vtrumq́ credere debet simplicitas Christiana, & totam plenitudinem divinitatis habitare in Christo corporaliter, hoc est, ut in propriâ carne & corpore, cum quo faciat unam hypostasin & personam, quomodo in nullâ re alia λόγος habitat: & Deitatem esse infinitam, quia utrumq́ in Scripturâ revelatur. Nec potest verus Christianus pro oppositis habere, quæ scriptura simùl proponit, & jubet credere.* 2. Negatur consequentia. *Aliud est finiri, aliud uniri & conjungi. Finitur id, cujus essentia terminis constringitur, quos nec habuit, nec accipere debuit. Hoc in λόγῳ humanitati Christi personaliter unito non fit. Manet quod erat, & assumit personaliter, quod non erat. Habitat λόγος in carne sibi propriâ per unionem, non essentiæ suæ conversionem, mutationem, constrictionem, aut terminationem. Persona verbi est & manet infinita per naturam, etiam in unione: Sed facta est simùl carnis persona per totalis & singularis unionis gratiam. Vnitur carni & communicatur: non terminatur, aut transmutatur, aut concluditur.* Sic anima humana propriè per id non finitur aut circumscribitur, quòd corpus organicum totali immeatione inhabitet, *cum jam antè propriis essentiæ terminis sit definita: Sed unitur tantùm cor-*

 pore

pori essentialiter, ut totum essentiale unumq́; compositum per se cum eo constituat: Ita λόγος *non finitur per illam ad carnem immeationem, cum aliàs in essentiâ infinitus simpliciter sit: sed unitur carni, ut cum eâ totum personale constituat. Pater & Spiritus S. etiam implent humanitatem, sed majestate, non susceptione, ut* Augustinus *loquitur. DEus* λόγος *caro factus est.* Joh. 1. v. 14. *& sic cum carne suâ personaliter & totaliter unitus est, ut extra ultraq́; eam nec quæri debeat post unionem, nec inveniri possit.* ὁλικῶς ἡ θεότης ἡμῖν ἐν μιᾷ τῶν ἑαυτῆς ὑποστάσεων ἐκοινώνηκεν, *inquit* Damascen. l. 3. Orth. fid. c. 6. *In eo ipso tota mysterii ratio est, quòd verbum infinitum cum carne finitâ unū inseparabile constituat* ὑφιστάμενον, *ut nec verbum extra carnem, nec caro extra verbū, durante unione, q̃* ἀδιαστάτως *facta, reperiri possit. Verb: caro factum, nec Deitatis mutationem passum est, nec humanitatis veritatem abolevit.* 3. Si infinitas λόγου *facit, ut sit extra carnem, facit etiam, ut non sit caro factus* λόγος. *Plus enim est, esse aliquid factum, quàm esse intra aliquid. Sed hoc posterius non facit, per* Joh. 1. v. 14. 1. Tim. 3. v. 16. *E. nec prius. Pluribus in articulo de Personâ Christi hæc disceptanda.*

XVII. *Ita* definitio Ubiquetatis *visa & excussa. Succedant* competentiæ aliquæ *ac habitudines, quas commodè eò intellectus distinctè circa eam intelligendam occupatus assignet. Hæ sequentibus theorematibus explicari possunt.* 1. Ubietas divina est DEO digna, non indigna. Digna, *i. e. talis, quæ essentiæ divinæ competat, cui realiter identificatur. Est enim essentia divina cum respectu ad spatia infinita apprehensa. Ergò ut essentia divina est infinita, immensa, incomprehensibilis, adæquatè inexplicabilis nobis, æterna, immutabilis: Ita similiter ubiquetas DEI essentialis.* Non indigna, *hoc est, non localis, extensiva, diffusiva, expansiva, inclusiva, conclusiva, quantitative,*

tativa, coarctativa, terminativa, definitiva, circumscriptiva, ut in substantiis finitis, partim spiritualibus, partim corporeis, esse solet. Hæc omnia ut imperfectiones, ab ubietate divinâ sunt removenda, & in ubi corporum aut spirituum assignanda. Spiritus ubicantur definitivè, designativè, & terminativè, ut hic sint essentiâ suâ, non alibi, non extrà, non ultrà: Corporea circumscriptivè, occupativè, & extensivè, ut loco contineantur, concludantur, ambiantur plerumq́. Deus ubicatur repletivè, & ubiq́ absolutè est, i. e. ita hic, ut & sit alibi, ita intra universum, ut & extra illud: Ita in Cœlo, ut tamen eo non contineatur aut concludatur. Plura ex præsentiâ DEI patebunt, c. 34. *Porrò repletiva Vbietas divina dici solet, ex* Jerem. 23. v. 25. *Cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus, adessentiam suam ubiq́ innuens: Non quasi materialiter omnia repleret: quomodo corpora occupatione loci spatia sua, quibus terminantur, replere dicuntur: nec quòd in locus formaliter consideratus repletivè sit, quasi & sibi sub ratione locorum veniant: sed fundamentaliter, metaphoricè, & per similitudinem, quòd â nullis spatiis absit aut locis, sed præsentissimè adsit. Et in omnibus illis sit, quæ* respectu corporum aut spirituum locatorum loca dicantur; *Etsi ratione DEI ea, non ut loca, sed ut creaturas suas, impleat. Et ita quidem illis adsit, ut terminos adessendi nec habeat, nec habere possit. In hoc propriè esse alicubi repletivum consistit. Et hoc quia DEO competit, ut* §. 6. *ostensum, propriè hic alicubi esse repletivè dicitur. Si creatum aliquod faceret, quod in omnibus spatiis adesset, adeoq́ terminos adessendi de facto non haberet, quod ipsum posse non pauci censent, alii tamen dubitant,* V. c. 4. §. 123. *Nondum tamen illud rigidè repletivè adesse diceretur, quia terminos adessendi admittere posset.* Conf. §. 38. *Sicut nec rigidè æternum absolutè diceretur, si ab æterno aliquid creasset, & in æternum durare faceret, quod multis* Metaphysicorum *non*

contradictorium videtur, quia terminos durationis admittere posset. Alij tamen etiam dubitant. V. f. 4. §. 124.

XVIII. *Patet ex eo, cum Ubiquetatem divinam non esse expansivam aut inclusivam dictum, quid de* Vorstij *argumento habendum sit, quod* not. ad disp. 3. p. 216. & orat. apologet. p. 18 & exeg. apolog. c. 16. *alibiq; urget. Majestas DEI postulat, ut substantiam suam à rebus terrenis & sordidis abstractam habeat, qua alioquin rebus immisceri, & pars earum fieri videbitur. Et indignum DEO est, si in antro formicæ, scarabæi, muris, lumbrici, grano pulvisculi, atomo, locis sordidis, tota essentiæ substantiâ adesse dicatur.* R. 1. Aliud est *adesse, aliud rebus misceri & partem earum fieri. Adessentia præsentiam apud res importat: commixtionem, compositionem, consubstantiationem & confusionem cum rebus non importat. Præsentia unionem extraessentialem cum re infert: partem esse, essentialem, ut alterum sit instar actus perficientis, alterum potentiæ perfectibilis. Sol radio & lumine multis sublunaribus adest, nec commiscetur tamen illis, nec pars eorum fit.* 2. Nec *præsentia præcisè sorditiem & conspurcationem infert. Sol radio & lumine latrinis, foricis, fimetis, sterquiliniis, adest, non inde sordescit. Ita & præsentia divina.* 3. Si non *DEO indignum, creaturas viles facere, ut scarabæum, formicam, murem, pulvisculum, nec indignum eo, substantiâ suâ illis adesse. Non enim minus quid importat, facere, quàm adesse. At Creator omnium.* Apocal. 4. v. 11. *E. & præsens illis. Non enim DEus de longè, sed de vicino est.* Jerem. 23. v. 23. Act. 17. v. 27. 4. Quæ *in antro muris, scarabæi, lumbrici, &c. esse dicuntur, per inclusionem in illo sunt, ita ut non sint extra illud. Sed DEI ubiquetas non est inclusiva. Nec ergò in illis esse præcisè dicendus. Non abest illis: interim nec includitur illis. Unde scriptura nuspiam in lapidibus, cantharis, antro muris, pomis, pyris, & similibus DEum esse dicit. Ac pudere debeat*

Chri-

Christianos, ita fidenter de rebus divinis sine scripturâ loqui. DEus non erat in igne, spiritu, commotione, dicitur 1. Reg. 19. v. 11. 12. *Ut inclusio & continentia omninò removeantur. Est intra omnia, sed non inclusus.* V. s. 6. *Cum interdum DEus in ignibus, aëre, fumibus, aquis, â Theologis esse dicitur, præsentia DEO digna, non indigna, intelligitur, qualis inclusiva. Non abesse illis, sed præsentissimè continere volunt, non autem includi.* V. §. 34. Et s. 4. §. 127. *Valet hic illud Theologorum:* Est DEus super cuncta, non elatus, subter cuncta, non prostratus: intra cuncta, non inclusus, extra cuncta, non exclusus. Super totus præsidendo: Subter totus sustinendo: Intra totus adimplendo: Extra totus complectendo. Intra nusquam coarctatus; Extra nusquam dilatatus: Subter nullo fatigatus: Super nullo sustentatus.

XIX. 2. Ubietas divina à parte rei est ipsa infinitas & immensitas divina: à parte nostri conceptus *est eadem infinitas cum connotatione ad spatia, quibus adesse cogitatur, sumpta.* Prius *patet, quia à parte rei non sunt diversæ res in DEO, ubiq; esse, & immensum vel infinitum esse, sed unum idemq;. Infinitum nullibi abesse potest, nullibi terminos invenire. Et sic ubiq; esse cogitur: Et in DEO à parte rei omnia attributa sunt eadem uni tertio simplicissimo, essentiæ divinæ. Et sic etiam eadem inter se. Ita à parte rei sapientia divina est voluntas & potentia divina, justitia divina, misericordia divina, intellectus divinus, voluntas divina, & hæc omnia idem cum ipsâ essentiâ. Sic & ubiquetas est ipsa infinitas.* Posterius *patet, quia nos ubietatis naturam aliter concipere aut explicare non possumus, nisi ordinem ad spatium concipiendo, & hactenùs ubietatem respectivum quid esse* s. 1. §. 35. *constitutum. Et sic etiam ubietas divina per ordinem ad spatia infinita concipienda. Hæc autem est ipsa ubiquetas.* Infinitas *concipitur à nobis, ut attributum divinum*

num absolutum à respectu ad aliud, & terminabilitatis negationem tantùm importans: Ubiquetas *ut attributum divinum respectivum, respectum ad spatia infinita, in quibus ubiq; aliquod esse dicitur, involvens.* Infinitas *à nobis cogitatur velut ratio per quam aliquid ubiq; esse possit: Ideò aliquid ubiq; est, quia infinitum est:* Ubiquetas *velut aliquid ex infinitate resultans, eamq; nostro concipiendi modo consequens. Quia infinitum quid, ideò & in omnibus ubi est: Non contrà, quia ubiq; quid, ideò infinitum. Infinitas est ratio ubiquetatis: Sed non Ubiquetas est ratio infinitatis. Et hic quidam Reformatorum consentiunt.* Zanakius l. 1. con. Jac. Marr. s. 2. c 6. *Nimis stolidum esset, infinitum & omnipræsens idem esse statuere, cum hoc illius sit quasi necessarium consequens. Ut quicquid sit infinitum essentiâ, sit quoq; infinitæ virtutis & omnib. præsens. Ita analogiâ aliquâ qualicunq; in quâ tamen multiplex aliàs diversitas, unde non latiùs, ac par est, extendenda, Rationale de se fundit docile, non autem docile rationale: Et quia aliquid rationale, ideò docile, non quia docile, ideò rationale. Rationale est causa docilitatis: sed non docilitas rationalitatis, quamvis reciprocè ab uno ad alterum colligatur, velut & ab infinitate ad ubiquetatem, & vicissim. De nostro concipiendi intelligendiq; modo hæc accipienda: aliàs* in reipsâ absolutè nihil in DEO est antecedens vel consequens, *primum vel ortum, causa vel causatum, sed omnia summa & simplicissima primitas, unitas & αὐτουσία,* selbstweesigkeit/ *prout DEus est αὐτὸν & αὐταυτὸς, ut* Scaliger ex. 365. s. 2. *eum vocat.* Αὐτὸς ἑαυτὸν, *ut ex* Aristotele Idem s. 5. *loquitur. Omnia quippe à parte rei ita in ipso sunt, ut sint ipsum: Ita insunt, ut nihil antecedat, nihil subsequatur. Cæterùm ex captu ac intellectione nostra quæ nimirùm perquàm umbratilis est, aliis alia prius animo comprehenduntur, verba ejusdem* s. 6. c. l. *sunt.*

XX. 3. Ubi-

XX. 3. Ubiquetas divina non est ipsa omnipræsentia divina apud Creaturas; *sed radix & fundamentum hujus, quo in primo puncto creaturarum existentium omnipræsenter qd & adesse queat, & de facto adsit, nec possit non adesse.* Vulgò *ubiquetas & omnipræsentia pro iisdem habentur, & in controversiis de personâ Christi promiscuo sensu vulgatissime usurpantur.* V. Sadeelem de ver. hum. c. 2. 3. aliosq; *Vnde qui omnipræsentiam Christi hominis defendunt, passim Vbiquetarij audiunt, ut ex scriptis Theologorum polemicis patet. Accuratè tamen considerando* Ingens *inter utramq; discrimen intercedit.* 1 Ubiquetas *divina est essentiale DEI attributum, ab æterno in æternum simpliciter in DEO existens & perdurans. Ab æterno DEus fuit ubiq; in æternum manebit ubiq; in seipso, quia infinitus, & nullo spatio absolutè est terminabilis. Sed omnipræsentia non est rigidè dictum attributum, cœpit enim in DEO in tempore, notat enim actualem ejus ad creaturas adessentiam, quibus existentibus demùm præsens DEus fieri cœpit. Et ante creaturas positas præsens ulli extra se dici non potuit: Nec abolitis creaturis ampliùs præsens dici poterit, sicq; non in DEO absolutè manebit, ut attributa manere solent. Præsentia dicit adessentiam ad aliud reale coëxistens. Nullo alio coëxistente nullum propriè præsens dici potest. Et sic si DEus universas creaturas annihilaret, quod sanè pro potestate suâ absolutâ potest, non omnipræsens maneret. Sublatis enim omnibus, quibus præsens dicendus esset, nec ampliùs præsens dici posset: Sed ubiq; maneret in sua ipsius infinitate ac immensitate.* Conf. t. 11. 2. Ubiquetas *immutabiliter DEO inest, non variatur modis aut habitudinibus. Est enim à parte rei ipsa essentialis DEI infinitas,* t. 19. *quæ simpliciter invariabilis. Sed præsentia divina variationes admittit. Cœpit omnipræsentia incipientibus existere creaturis. Desinet illis rursum existere desinentibus. Extructâ novâ Vrbe, ut Româ, Constanti-*

stanti-

stantinopoli, genito alio atq; alio homine, animali, plantâ, incipit DEus illis adesse præsentiâ generali, quæ est omnipræsentia: cum antea illis non adesset, quia ipsa non existebant. Destructis iterùm urbibus, abolitis animalibus & plantis, cessat etiam DEus præsentiam apud illa exerere. Et sic variatio aliqua omninò præsentiæ divinæ infertur, quanquam mutationem essentiæ divinæ ea non infert, ut decade 1. Miscell. d. 6. t. 28. *docui. Nonnulli & ipsam gratiosam DEI apud fideles præsentiam substantiali propinquitate variari putant, ut non tantùm peculiari operatione gratiosè apud illos sit DEus, sed & speciali essentiæ approximatione ad ipsas veniat, & in illis habitare incipiat. De quo* D. Gerhardum exeg T. 1. de Natur. DEI, §. 188 *consule. Sic non solùm omnipræsentia generali, sed & speciali præsentiæ divinæ variatio aliquâ infereretur. Quod fortiùs arguet, præsentiam DEI ad creaturas omninò ab essentiali ejus ubiquetate differre.*

XXI. 3. Ubiquetas *est velut actus primus & intima perfectio divina: Omnipræsentia velut actus secundus, modus aliquis actualiter exsertus, & ad Creaturas existentes flexus ac determinatus, exsertio aliqua actus illius primi ad existentes Creaturas in tempore facta, DEO tributa, & sic de eo denominata. Omnipræsens DEus dicitur, cum ubiquetatem suam ad creata flectit, illisq; adest: Ubiq; cum per infinitatem suam nuspiam abesse intelligitur, etiamsi spatia tantùm imaginaria sint, nulla creatura existat, cui propriè præsens dici possit. Ubiquetas est existentia in spatiis infinitis sine termino & terminabilitate. Omnipræsentia est existentia omnibus creatis extrà coëxistentibus propinquè applicata, & terminos deniq; ex ipsis creaturis habet, ut post patebit.* 4. Ubiquetas *est absolutum quid à creaturis existentibus, dicitq; tantùm ordinem ad spatia infinita, sive illa realia sint, sive rationis,* V. t. 7 8. *Alia realia simul coëxistentia non requirit.* Omnipræsentia *est relativum quid, ad creaturas existentes respiciens,*

ante quarum exordium DEus omnipræsens propriè non fuit, nec accuratè dici potest. Nec respectum ad spatia tantùm, sed & alia realia coëxistentia importat, quibus aliquid præsens dicatur. Nihilo enim nemo accuratè præsens dicitur, Etsi adesse ibi, id est, non abesse vel existere ibi dici possit. Cum præsentem aliquem dico, statim aliud infertur, cui præsens sit. Si nihil adsit, non accuratè & Philosophicè aliquis præsens dicitur. V. t. 11. *Vnde Theologi omnipræsentiam esse præsentiam DEI ad aliud relatam dicunt.* V. D. Mentzer. c. Martinium p 289. 5. Ubiquetas *à parte rei est ipsa infinitas & immensitas divina,* t. 19. *Estq; simpliciter infinita, & terminos nullos admittit, vel admittere potest. Omnipræsentia non est ipsa infinitas, nam DEus ab æterno fuit infinitus, non omnipræsens, nisi in primo momento coëxistentium creaturarum: Sed modus aliquis actualis & respectivus in immensitate essentiæ fundatus, actualem substantiæ divinæ propinquitatem ad creaturas dicens, adeoq; velut exsertio quadam & appropinquatio essentiæ infinitæ ad creaturas Vndè non DEus abesse aut procul esse dicitur à suis creaturis.* V. t. 18. Nec absolutè infinita dici *potest omnipræsentia, sunt enim omnes creaturæ finitæ, ad quas universas omnipræsentia est substantialis quadam essentiæ divinæ approximatio. Et hactenùs terminum agnoscit, quatenus res extrà coëxistentes, quibus appropinquat, terminum habent. Aliàs quà in essentiali DEI ubiquetate, quæ infinita, fundatur,* t. 20. *& ipsa infinita dici potest. Absolutè tamen ita dicendum non est: Omnipræsentia est ipsa infinitas, & quidquid omnipræsens, statim infinitum, ut* Sadeel *contendit* d. ver. hum. c. 3. arg. 1. *Vel omnipræsens esse est ipse DEus, ut* Martinius, v. t. 22. *Nam & res, de quibus agitur, & rerum vocabula hoc est pervertere: quod ille nobis, qui distinguenda distinguimus, objicit. Distinctissima sunt, infinitas & omnipræsentia, & unum absq; altero consistere potest: ac con-*

sequenter infinitum esse non est statim omnipræsentem esse, aut vicissim. Inter Reformatos Zanakius *stolidum hoc vocat assere-re.* V. §. 19.

XXII. 6. Ubiquetas divina, *ut sic, non est operosa a. operationi juncta, sed saltem in omnibus spatiis adessentia intermi-nabilis,* c. 7. *Sed præsentia divina modis specialibus determinata in sacris fermè cum operatione jungitur, & interdum per eam explicatur. Sic* Act. 17. v. 27. *Non longè abest à quoquam no-strûm, id est, omnibus vitam motumq; ministrat.* v. 25. *Sic ad Iacobum, Ego ero tecum,* Gen. 31. v. 3. *i. e. Ego benefaciam tibi,* Gen. 32 v 9. *Sic ad Davidem, tecum fui,* 2. Samuel 7. v. 9. *i. e. hostes tuos universos excidi. Sic Dominus erat cum Da-vide,* 1. Sam. 18. v. 28. *h. e. prudentiam, felicitatem, & famam ipsi præstabat,* v. 30. *Sic DEus erat cum Iosepho.* Gen. 39. v. 2. 3. *id est, felicitatem actorum ei suppeditabat,* ibid. *& ab omni ma-lo liberabat,* Act. 7. v. 10. Conf & 2. Chron 15. v. 2. c. 19. v. 11. Gen. 31. v. 42. Exod. 17. v. 7. Esa. 43. v 5. Jerem. 1. v. 8 19. c. 15. v. 20. c. 20. v. 11. c. 30. v. 11. c. 42 v. 11. c. 46. v. 28. *Ita DEus ubiq; est etiam in spatiis imaginariis extra mundum, ubi nihil operatur. Sed præsens illis non est, quia ipsa non e-xistunt, ut ipsis præsenter aliquid adesse dici possit. Aliud er-gò ubiquetas, aliud omnipræsentia.* 7. Ubietas *divina essen-tialis non differt realiter ab ipsâ essentiâ divinâ, sed est eadem cum respectu ad spatia infinita connotata; & in casu recto de DEO prædicari potest. Sic DEus est sua ubiquetas, velut est sua infinitas & immensitas, quæ à parte rei est ipsa essentia-lis ubiquetas. Sed omnipræsentia differt realiter ab esse di-vino, (τὸ realiter in genere sumendo, ut & rem & rei modum comprehendat,) tanquam modus aliquis & actualis exsertio cre-aturis existentibus & positis consequens, & illis annihilatis i-terum desistens. Ubiquetas est velut infinitas essentiæ divinæ*

spatiis

spatiis omnibus indistans cogitata. Omnipræsentia est istius ubiquetatis ad creaturas existentes *velut extensio & usurpatio*, t. 21. *Nec in abstracto licet dicere: DEus est sua omnipræsentia. Nec scriptura DEum omnipræsentiam vocat, sed omnipræsentem. Quanquam* Lombardus 1. sen. d. 36. lit. a. *præsentiam DEI nihil aliud, quàm ejus naturam vocat. Et* Martinius in Theol. p. 867. & 669. *omnipræsentiam ipsam Deitatem*, p. 699. & in Exam. querel. p. 100. *DEum ipsam suam omnipræsentiam, &* p. 761. *ubiq; præsentem esse DEum ipsum esse ait. Similiter* Suaretz d. 51. Meta. s. 4. n. 36. *Præsentia DEI est ejus immensitas, est infinita, & non est modus, sed formaliter est ipsamet substantia DEI. Hæc si accuratè considerentur, satius omittere est, quàm usurpare. Nec scriptura sic loquitur: nec sana ratio ita loqui permittit. Ab æterno n. DEus fuit, & in æternum manebit, cum nulla adhuc in eo omnipræsentia, deficientibus nempe creaturis, citra quarum respectum nulla omnipræsentia dici potest. Velut nec ab æterno Rex, creator, gubernator, creaturarum fuit, cum nullæ creaturæ existerent, quas gubernaret.* 8 Ubiquetas *divina ultra creata omnia porrigitur, etiam ad spatia infinita imaginaria extra universum creaturarum chorum.* V. t. 7. 8. *Sed Omnipræsentia intra creatorum orbem sistitur. Omnipræsens dicitur DEus, quod à nullâ creaturâ essentiâ sui absit: Ubiq; quod terminos adessendi simpliciter nequeat admittere, non solùm, quòd creatis rebus substantialiter adsit. Ubiquetas divina est necessaria & essentialis adessendi interminabilitas. Omnipræsentia est actualis DEI apud creaturas adessentia, operationem & concursum junctum habens.* 9. Ubiquetas *divina nulli rei creatæ communicari potest.* Vt t. 36. *constabit Omnipræsentia potest, quia nullam contradictionem hoc involvit, ut* s. 4. §. 119. *videbitur. Discrimen ergò inter ubique-*

tatem divinam & omnipræsentiam aliquod intercurrit. Conf. etiam f. 1. §.55. & f 2 §.11. *Hoc modo & in vocibus Germanicis distinguam,* allenthalben seyn/ & allgegenwärtig seyn/ allenthalbenheit & allgegenwärtigkeit/ irgend wo seyn/ & gegenwärtig seyn. *Illud absolutè spatia saltem respicit: Hoc creaturas simul cum eo de facto coëxistentes. Hoc modo & ad distinctionem hanc inclinare video* Clariss. D. Jac. Martini l. 2. part. Meta f 14. q 8. *Ubi distinguendum inter ubiq; esse, prout solam rationem existendi divinæ subsistentiæ dicit, quæ ex se ita est immensa, ut sine mutatione sui apta sit, esse intimè in quovis loco. Hoc modo DEI immensitas, infinitas & ubiquitas recurrunt. Deinde inter ubiq; prout habitudinem actualem ad extrinsecum locum dicat, ut ita ubiq;* consortium rerum omnium *indicet, in quibus DEus sit, vel quibus adsit. Illo modo nulla creatura, neq; ipsa humana Christi natura, etiam, quatenus in λόγῳ subsistit, ubiq; esse dicenda est: Hoc verò modo id ex consequenti affirmat S. Scriptura.* Hæc ille. *Prius ego distinctionis gratiâ propriè ubiq; esse voco, Posterius omnipræsens esse. Usus tamen & consuetudini, quâ nihil in rebus ὀργανικώτερον, dare cogimur, ut promiscuè unum pro altero in scriptis interdum assumatur. Quanquam Nobis in propriis occupatis accuratè distincta manebunt.*

XXIII. Omnipræsentia divina ex essentiali DEI ubiquetate resultans est substantialis DEI ap. creaturas existentes adessentia, in specialibus modis operationem aliquam includens. *Substantialis adessentia, i.e. propinquitas & approximatio substantiæ divinæ. Non n. DEus à longè est, sed à propinquo,* V. c. 18. Photiniani *hanc essentiæ adessentiam negant.* V. c. 14. *Ex* Anabaptistis *quosdam adducit* Vorstius append. 1. ad p. 1. resp. c. Sladum, §. 122. *qui essentialem DEI omnipræsentiam negant, quod ex scriptis* Cu-

peri

peri, Outermanni, Arn: Bernhardi, & Henrici â Gulich *constare ait.* *Ex gentilibus* Aristoteles 1. de cœl. c.3 t. 22. 8. Meta. c.8. l. d. mundo c. 6. *Ægyptii, aliiq́ negârunt, DEum essentiâ suâ omnibus adesse.* *Ex Christianis* Steuchus *in* Ps 138. *DEum per essentiam tantùm in cœlis ponit, per potentiam & virtutem in terris. Hæc omnia scripturæ, & infinitati ac immensitati DEI contraveniunt, ut* loc. cit. *constat.* In specialibus modis operationem includens. *Quia præsentia divina apud creata, quà vel potentiæ, vel gratiæ, vel gloriæ est, adeoq́ specialibus modis determinatur, in sacris fermè operationi jungitur, non mera propinquitas esse indicatur.* V. t. 22. *Adeoq́ præsentia divina sensu Biblico sumpta, qui ad speciales modos intendit, est operosa, non otiosa.* An tamen ista operositas *ad ipsam præcisam & quidditativam præsentiæ divinæ rationem definitivè pertineat, tanquam particula definitionem integrans, an tanquam consequens aliquod & παρολῶς explicativum addi possit, variantibus sententiarum divortiis inter ipsos Orthodoxos disceptari audias. Et de difficultate ac quæstione aliquâ Scholasticâ hic contenditur, non fundamentali fidei cardine, ad salutem scitu prorsùs necessario. Qualia sententiarum divergia facile apud modestos tolerabuntur, non curiosè seminabuntur, aut furiosè traducentur, quod litigantium & rixosorum proprium esse solet. Certum apud Orthodoxos,* 1. DEum *vere infinitum esse.* 2. A *nullâ re creatâ substantiâ sui abesse, sed intimè adesse.* 3. Operari *omnia in omnibus, fovere, sustentare, vitam, motum, largiri.* 4. DEum *præsentem nusquam otiosum, ubiq́ efficacissimè operosum esse.* 5. Multo *intimiore & efficaciore modo piis adesse, quàm impiis, à quibus præsentiâ gratiæ interdum recedere dicitur.* 6. Qualiterunq; *explicando, describendo, illustrando, operationem præsentiæ divinæ definiendæ omninò jungi posse, & in sacris*

cum eâ jungi. 7. Præsentiam *divinam abstractè & præcisè sumptam, ac operationi contradistinctam sufficienter per essentiæ divinæ adessentiam & approximationem definiri. Eandem speciali suo modo determinatam per operationis alicujus vel generalis vel specialis, additionem definiri debere. In quæsitum venit,* an ad totalem præsentiæ divinæ rationem sensu Biblico completè sumptam *etiam ratio operationis adjicienda sit, an sine hac totalis præsentiæ divinæ ratio Biblicè sumpta definiri possit? Hîc quæstio non tam de re, quàm rei modo oritur. Certum est, cum præsentiâ divinâ certis specialis modi semper aliquam operationem esse junctam. Sed an præsentia abstractè sumptæ operatio jungenda sit, res quæstionis est. Nec fidei punctum concernens, nec, si eam ignores, salutis jacturam incurras. Difficultas aliqua Theologica est, ab eruditis magis solvenda Theologis, quàm simplicioribus vel proponenda, vel cognoscenda.*

XXIV. *Ego præsentiæ divinæ, quæ ad specialem modum determinatur, ut* vel potentiæ, vel gratiæ, vel gloriæ, dicatur, *semper aliquam esse junctam operationem credo, nec unquam DEum esse præsentem creaturis, speciali aliquo præsentiæ modo, ut non aliquid operetur. Hoc patet.* 1. Inducendo *omnes modos præsentiæ divinæ, quorum nullus sine operatione invenitur. Præsentia divina aut est universalis & potentiæ, sic DEus omnibus rebus præsens est, servat, fovet & sustentat eas, vires, vitam, motum omnibus ministrat,* V. c. 22. *Aut particularis, qua vel est gratiæ, ubi DEus est præsens Sacramentis, Ecclesiæ, & fidelibus, fidem in eis accendit, bona gratiæ suffitit, renovat, defendit, solatur, confortat, ad actus peculiares excitat,* V. Ps. 23. v. 4. 5. Psal. 46. v. 8. Ps. 139. v. 10. Ps. 145. v. 18. 19 Vel gloriæ. *Ubi DEus in cœlo angelis & beatis adest, faciem suam visendam præbendo inenarrabili gau-*

dio aeternùm eos demulcens. V. Pſ.16. v.11. Rom.8. v.21.30. Philip. 3. v.21. Alij *quartum praeſentiae divinae modum addunt, qui prorsùs ſingularis & myſticus eſt*, perſonalis, *quo DEus* λόγος *cum totâ plenitudine ſuâ habitat in carne Chriſti* σωματικῶς, Coloſs. 2. v 9. *Ita perſonalem praeſentiam Deitatis ad humanitatem Chriſti Theologi vocare ſolent*, V. Apol. Saxonic. c. Tubing. ſ 4. c. 7. p. 759. Alſtedium ſ.4. Th. Sch. c. 1. §. 1. Pincierum d. Cœnâ tr.4. p.427. *aliosq́; paſſim. Rectius hic modus unio vocatur, quàm praeſentia. Unio perſonalis eſt, non praeſentia: & accuratiùs divinitas* λογȣ *unita humanitati Chriſti perſonaliter dicitur, quàm praeſens eſſe. Praeſens eſſe propriè de illis dicimus, quae non ita rebus ſunt unitae, ut partes earum conſtituant, adeoq; ad integritatem illarum concurrant. Sic DEus praeſens creatis, ut tamen in compoſitionem eorum non veniat. Homo homini praeſens, ut pars ejus compoſitivè non ſit. Sed divinitas eſt altera pars perſonalis compoſiti iſtius perſonalis, Chriſti, ex Deitate & humanitate perſonaliter conſtituti: Et jam poſt incarnationem DEum* λόγον *non* ἄσαρκον, *ſed* ἔνσαρκον *& incarnatum, adeoq; ex DEO & homine conſtitutum agnoſcimus, DEum humanatum, & hominem deificatum, ut* Patres *interdum loquuntur. Sic anima accuratè loquendo non praeſens corpori vivo eſſe dicitur,* (*quanquam* Aureolus 4. ſent. d.43. q.2. *praeſentialitatem animae in corpore dixit,*) ſ*ed unita, quia intima & praecipua ejus pars eſt, forma* ſ*eu* ἐντελέχεια. *Unio inter animam & corpus vivum eſt, non rigidè praeſentia. Quanquam, quia vocum res eſt, de illis morosè non cum quoquam contendi debet. Uſu occupantur, velut nummi: At dum modò verisſimus intelligendi modus placuerit, loquendi legem, quaecunq; optimas libuerit proferre ſententias, aequo animo laturi ſumus.* Alij praeſentiam pœnae & vindictae *addunt, quâ DEus apud impios*

pios & pertinaces sui contemptores se ut severum actorum exactorem & punitorem exhibet. Crocius p. I. conu. Pruc. p. 44. Alij *hanc sub præsentiâ speciali comprehendunt, quâ DEus vel ut redemptor & liberator, vel ut judex & vindicator adsit.* Alsted. c. I *Et hoc non incommodè. Est enim præsentia vindictæ velut opposita species præsentiæ gratiosæ, sicq; ad unum cum eâ membrum referri potest, ut opposita ad easdem cum suis oppositis species referri solent.*

XXV. An tamen præsentiæ divinæ abstractè ab suis specialibus modis conceptæ, *quam etiam omnipræsentiam dici posse certum est,* V. c. 29. *quomodo conceptus generales à speciebus subjectis mente abstrahere solemus, ut animal à bestiali & rationali, corpus à simplici & misto, & in generali præcisè usq; esse spectatos definire ac contemplari, definitivè & essentialiter competat, operationem jungi vel operosam esse, aut ipsam operationem esse, ambigere me dicam, & ambigendi causas habere. Nec contrarium facilè quenquam dicturum arbitror. Nam* I Præsentia divina *ita præcisè abstractèq; sumpta contradistingui debet omnibus attributis, actionibus, & decretis divinis, & in nudâ meraq; suâ formali ratione præcisè spectari. Quomodo formaliter justitiam divinam concipimus, cæteris attributis omnibus contradistinguimus, ac tantùm illa, quæ ipsi formaliter competunt definitione ejus assignamus, reliquis omnibus, quæ ex aliis attributis aut actionibus habet, prætermissis. Sic dicimus, justitia divina est attributum DEI pœnas pro peccatis sumens. Misericordia divina est attributum DEI, remissionem peccatorum impertiens. Æternitas divina est simplicissima durationis divinæ interminabilitas. Hâc ratione & præsentia divina* tantùm in eo spectari debet, *quod ex suâ formali ratione habet, non quod ex alio, v. g. potentiâ, operatione, benignitate, aut naturâ alius attributi divini. Sic*

ergò præsentia divina præcisè sumpta est DEI apud Creaturas substantialis propinquitas, ex infinitate & ubiquetate divinâ ortum trahens. In hac formalis & abstracta ratio præsentiæ, ut sic, absolvitur. Quòd operationem junctam habet, ex potentiâ divinâ est, *non præcisè præsentiâ: vel ex speciali præsentiæ modo, qui per operationis implicationem est definiendus, quomodo animal, quà rationale, per rationalitatis, quà brutale, per bestialis mentionem complicatè est definiendum: vel ex ipsâ DEI naturâ, qui ubicunq; alius adest, operosus adest, non otiosus: non præcisè ex ipsius præsentiæ, ut sic, naturâ, quasi illa formaliter operationem requireret. Sic DEus æternus est operosus, non tamen ipsa æternitas divina, ut sic, est operosa, aut per eam præcisè sumptam DEus aliquid operatur, sed per potentiam. Sic infinitus DEus est operosus: non tamen per formalem infinitatis rationem, q illa operationem in formali suo implicaret, cùm ejus formalis ratio in interminabilem simpliciter esse, consistat: sed per agendi vim & liberam actionis exsertionem.* Ita in sole lux & calor simùl sunt. *Formaliter tamen per calorem non lucet, sed calefacit: per lucem non calefacit, sed illuminat. Caloris formale est calefacere: lucis, illuminare. Nec unum cum altero hic confundendum. Ita distinguenda formalibus suis conceptibus etiam in DEO sunt, & quæ distinctionem requirunt, & cuilibet attributo, modo, actui, assignandum, quod suum ex formali & præcisa ratione est; relinquendum, quod ex alio modo, attributo, actu, a. essentia DEI habet. Quamdiu distinctè docere est animus, non confusè.* Qui enim benè distinguit, proximus est veritati: Qui malè, proximus falsitati, ut Salicetus *ait. Sic creationem definies per creatorum ex nihilo productionem, ut formale suum. Malè electionem a. reprobationem commiscebis, quæ distinctissimi actus sunt.* 2. Si præsentia *divina*.

ut sic, per operationem definienda, quia DEus præsens est operosus, E. & infinitas, æternitas, beatitas, ac immutabilitas DEI, præcisè sumptæ per operationes erunt definienda, quia DEus infinitus, æternus, beatus & immutabilis, ubicunq; præsens est, operosus est. Sed hoc non faciendum, confundentur enim hac ratione omnia attributa, quæ formalibus rationibus sunt distinguenda, quia respectu diversor. objectorum & rationum formalium spectantur, Vt dec. 1. misc. d. 4. c. 11. 12. *ostendi. E. nec præsentia divina præcisè distinctèq; sumpta per operationem est definienda. Et sic concedit* D. Feurbornius *præsentiam abstractam & nudam ab omni actione non designare quidditativè actionem; sed concretam s. complicatam tantùm,* fasc. 1. disp. 1. c. 10. 76. 82. *Similia habet* D. Mentzerus p. 1. defens. c. Tubing. p. 31. 32. *& alibi. Imò ipsa Scriptura præsentiam ab operatione interdum distinguit.* V. c. 26.

XXVI. Dices 1. Scriptura *nullam novit præsentiam divinam, quàm potentiæ, gratiæ, & gloriæ, quæ omnes operationes includunt, & per eas definiuntur, ut supra* c. 22. *concessum. E. nec præsentia in genere sine operatione definiri debebat. R.* 1. Negatur consequentia. *Aliud species, aliud genus. Posito, nullam speciem præsentiæ divinæ sine operatione esse, non tamen sequitur, ipsum generalem conceptum præsentiæ, ut sic, operationis implicatione definiendum esse. Generales conceptus abstrahunt ea, quæ sunt in specialibus, resq; in præcisis & abstractis essentiis sistunt, ac ita definiunt. Nulla species animalis sine implicatione rationalitatis aut bestialitatis datur vel definitur. Sed animal, ut sic, sine illis definitur corpus animatum sensitivum, præciso rationali vel bestiali, quod ad species subjectas pertinet, non genus. Sic ad species corporis vivi mentio sentientis vel non sentientis pertinet, Est enim corpus vivum vel sentiens, ut animal, vel non sentiens, ut planta. Ad*

defini-

definitionem tamen generis, corporis vivi, ut sic, non ea pertinet. Definitur corpus vivum, quod animâ vegetante est praeditum. Praeciso relictoq́ue sentiente vel non sentiente. Sic praesentia divinae, ut sic, est substantialis DEI & propinqua ad Creaturas adessentia. Quòd fit cum operatione generali, ut sustentatione, vel speciali, ut gratiae vel gloriae communicatione, vel poena illatione, ad naturam praesentiae talis & talis, s. modificatae pertinet, ad naturam praesentiae, ut sic, & definitionem ejus non pertinet. 2. Quidam & *antecedens negant, scripturam nullam praesentiam generalem novisse. Et* Matth.6.v.9. *Pater noster, qui es in coelis.* Job.11.v.8.9. *Excelsior Dominus coelo, profundior inferno, longior terrâ, & latior mari.* Ps.145.v.3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis, adducunt, Ubi praesentiae DEI sine ullâ operatione complicatâ fiat mentio. De quo* D. Osiandrum *in justâ defensione* q. prael. p. 4. *vide. Addi possit & hoc, Scripturam operationem à praesentiâ manifestè interdùm distinguere,* Psalm.91.v.15. 1.Reg.11.v.38. Jerem.1.v.8.19. c.15.v.20. c.30.v.11. c.42.v.11. *E. praesentia non potest formaliter esse ipsa operatio. Secùs non posset ab eâ distingui. Sive autem Scriptura de tali praesentiâ abstractâ aliquid habeat, sive secus, justissimè negatur consequentia. Possumus nos abstractam & generalem definitionem statuere, utcunq́ue speciales rationes tantùm in scripturâ sint comprehensae.* Non intendit scriptura praecisas rerum definitiones proponere, *sed res ipsas exponit, ex quarum inductionibus, distinctis conceptibus, formalibus rationibus, essentiis, aliisq́ue requisitis generales definitiones, rerum essentias distinctè exprimentes, extruere accuratus nosset Theologus. Nec data est pro Catechismo aut Locis communibus, definitiones & divisiones rerum suppeditantib. sed pro sapientiâ DEI revelatâ, ad salutem nos instruere*

struere debente, 1. Tim. 3. v. 15. *Quamq́; nos scrutari debeamus*, Joh. 5. v. 39. *ut inde definitiones & divisiones pro accuratiore docendi methodo construamus.*

XXVII. 2. Semper *Scriptura cum præsentiâ conjungit operationes, ut t. 22. inductum. E. nec sine operatione definire præsentiam Theologicè licebit.* R. 1. Jungit *Scriptura operationem præsent. 2: non tamen ad præcisam ejus definitionem pertinere ait, ut nec definiri queat illa sine operatione. Multa jungit Scriptura, quæ definitivè non complicata. Sic panis, confortare cor hominis. Non tamen hoc ad definitionem panis præcisè pertinet, ut* tract: de pane f. 2. § 30. *docui.* 2. Jungit *operationem præsentiæ, sed speciali, potentiali vel gratiosæ, & non generali & abstracto præsentiæ conceptui, quem nusquam proponit. Quæ enim scriptura de præsentiâ DEI habet, semper determinatum præsentiæ divinæ modum respiciunt.* 3 Jungit *illa Scriptura, non identificat. Multa jungi possunt, quæ in sesesis sunt distinctissima, nec unum est alterum. Lumen & calorem in sole jungimus, non confundimus, sed distinctissimis essentiis & formalibus rationibus inconfusa manent. Sic operatio præsentiæ jungitur, non tamen est vel ipsa præsentiæ formalis ratio, vel pars ad completam ejus rationem definitivè pertinens. Credidit Abraham DEO, & imputatum est illi ad justitiam, jungit Scriptura*, Rom. 4. v. 3. *Non tamen unum est formale alterius, & credere est ipsum imputari ad justitiam, sed ut medium & mediatum, antecedens & consequens, distincta manens. Iungi possunt consequentia rerum, nec tamen confunduntur, sed distinguuntur, & distinctè tantùm copulantur. Ut homo & rationalis est, & docilis, & visibilis, & flebilis, & ridibilis, numerabilis. Omnia hæc distincta sunt, etsi conjuncta.*

XXIIX.

XXVIII. 3. Si præsentia *divina sine operatione definiri potest. E licebit eam dicere otiosam, inefficacem, & referre eam inter attributa ἀνενέργητα, tanquam meram relationem, & DEum præsentem licebit dicere otiosum alicubi esse, quæ omnia inaccuratissima sunt. E. & antecedens.* R. 1. Iterum Neg. consequentia. *Si præsentia divina nec abstractè sine operatione definienda, nec in modis specialibus operationem includat, tum demùm otiosa dicenda esset. Sed in modis specialibus operationem junctam habet. Ex quibus DEum præsentem vocare Ecclesia solet. Potenter nempè, gratiosè, vindictosè, vel gloriosè, intelligendo.* V. t. 22. Dices: F. in præcisâ *sui ratione saltem erit otiosa, quia sine operationis mentione definitio ejus expeditur. R. Ne hoc quidem sequitur, sed illud tantùm: E. in præcisâ sui definitione ad operationem* indifferens ab eaq; abstracta *erit, h. e. erit* non operosa, *quod verum, non statim otiosa, quod falsum.* Otiosum idest, *quod potest & debet agere, & non agit. Sic Scholasticus otiosus, qui potest & debet discere, & non discit. Sed præsentia divina præcisè sumpta non debet agere, sed potentia hoc est. Latius autem est, non operosum esse, quàm otiosum esse. Omnis otiosus est non operosus: Sed non contrà, Non operosus statim est otiosus. Sed illud latius hoc est. DEus ante conditum mundum ab extra non fuit operosus, nec tamen otiosus, quia agere non tenebatur.* Conf. t. II: 2. Diversa *etiam sunt, Præsentia DEI præcisè sumpta est non operosa, & DEus præsens alicubi est non operosus. Prius verum, nam præsentiam præcisè & solitariè attendit, cujus non est operari, velut nec infinitatis, beatitatis, aut æternitatis præcisè sumpta,* V. t. 25. *Posterius falsum, nam essentiam divinam adæquatè & totam comprehendit, in quâ etiam attributa ἐνεργητικὰ & operativa sunt, ut potentia, bonitas, sapientia: de quibus enunciare non licet,*

non operosas esse, quod de uno alterove attributo pracisè & inadequatè concepto licet, quod extrà non sit operosum.

XXIX. 4. Præsentia *generalis Dei est, quâ cœlum & terram implet.* Jerem. 23. *Sed hæc impletio est cum universali dominio, sustentatione & gubernatione juncta. E. nec generalis præsentia sine operatione definienda erit. R. Præsentia generalis* duplici sensu *dicitur. Interdum notat præsentiam abstractè ab omnibus speciebus sumptam, etiam ab generali illâ, quæ vulgò universalis & potentiæ dicitur, quâ totum universum DEus præsens gubernat. Ita operatio de essentiali ejus quidditate non esse dicitur, sed de specialibus præsentiæ divinæ modis, quorum primus est Universalis illa præsentia dominii, secundus gratiæ vel pœnæ, tertius gloriæ. Interdum notat præsentiam ad modum primum determinatam, quæ generalis dicitur, quòd ad omnia creata se extendat, cum gratiosa tantùm ad fideles hujus orbis, gloriosa tantùm ad beatos futuri seculi se extendant, adeoq; specialiores sint illâ. Hoc modo ad præsentiæ generalis definitionem omninò pertinet, operationem aliquam adjicere. Sed hic generalem præsentiam priori modo sumi* t.25. *patuit.* 5. Ubiquetas *divina est à parte rei ipsa essentia divina, cui identificatur, ut supra* t. 19. *dictum. Sed essentia divina semper est operosa, & sine operatione nunquam cogitanda. E. pari modo ubiquetas. R. Aliud ubiquetas, aliud præsentia divina. Ab illâ ad hanc non valet consequentia.* V. t. 20. *Deinde ubiquetas est essentia divina formaliter & præcisivè nostro concipiendi modo: sed ratione formaliter & præcisive nostro concipiendi modo: sed radicaliter, identicè, & fundamentaliter, quia non est nova res essentiæ superjecta, & realiter ab eâ diversa, sed eadem cum respectu ad spatia infinita apprehensa,* t. 21 22. *Non ergò omnia prædicata, quæ essentiæ divinæ admittit, statim ubiquetati divinæ tribuenda, cum ad minimum formale discrimen*

men interſit, in quo diverſa, imò contraria prædicata fundari poſſe dec. 1. miſc.d 6.t.18. oſtendi. 6. Si præſentia eſt tantùm Entis ad ens exiſtentis, etiam præſentia gratiæ talis erit. At hæc inſuper gratiæ eſt communicatio, non ſola adeſſentia. E. malè præſentia per nudam adeſſentiam deſinitur. R. Neg. Conſequ. Majoris. Præſentia abſtractè à ſuis ſpeciebus ſumpta eſt nuda adeſſentia: Sed præſentia gratiæ eſt præſentia determinata ſpecie jam contracta, talis & talis præſentia, hæc non nudâ adeſſentiâ, ſed ſimùl ſpeciali operatione definienda. Velut Leo non nudè animali, ſed & formâ brutali & proprio leonino determinatur eſt definiendus. Non enim animal in abſtracto & præciſo eſt, ſed tale & tale animal, beſtiale & rugibile.

XXX. Hæc circa definitionem præſentiæ divinæ diſceptata. Ampliùs competentiæ aliquæ de eâ adjiciendæ, ne quid lucis materiæ tractatæ deficiat. Supra ubiquetatem DEO dignam, non indignam, tribuendam eſſe dictum, §.17. Idem enunciandum de præſentiâ divinâ apud Creaturas. 1. Præſentia divina eſt DEO decens, non indecens. Decens, i. e. talis, quæ Enti infinito competat, ſpiritualis nempè, ſimpliciſſima, puriſſima, inpermixta, inconfuſa, incontaminata. Non indecens, i. e. talis, quæ ens infinitum dedeceat, finito tantùm competat. Vnde præſentia divina non eſt 1. Localis, i. e. loco alligata, concluſa, & comprehenſa. Eſt enim DEus veriſſimè infinitus terminos ſimpliciter nullos agnoſcens, §. 14. Elegans Hilarij dictum §. 8. Vide. Ægyptij DEum cœlo, Iudæi templo Hieroſolymitano concludebant. V. c. l. §. 9. Vtriq; injulte, ut ibi oſtenſum. Non partibilis, ut totum in toto, & pars in parte ſpatij ſit. Eſt enim DEus in eſſentiâ ſuâ indiviſibilis, ſpiritualis, partes extra partes non habens. Vnde ubi eſt, totus eſt, Hinc Pſalmo 139. v. 8. 9. Tu illic ades, dicitur, non

inâ

tui pars aut portiuncula. Antropomorphitæ DEO corpus tribuentes præsentiam corpoream secundùm corporis rationem & particulas ei tribuebant, ut corpus in cœlo, pedes usq; ad terram protensos suspicarentur, ut Origenes hom. 1. in Gen. *testatur. Manichæi DEI substantiam omnibus creaturis frustatìm infusam & permixtam esse docebant, ut testatur & simùl refutat* Augustinus T. 6. lib. con Fortunatum, & l. 2. c. Faus. Manich. c. 4. l. 20. c. 11. lib. de natur. boni, c. 29. Vorstio *mirum videtur paradoxon, DEum sic omnis quantitatis expertem esse, ut totus substantialiter sit en re qualibet, etiam minimâ.* Not. ad disp. 3. p. 219. *Sed DEum esse spiritum ex* Johanne 4. v. 24. *novimus. Spiritum autem quantitate carere, & sensili, & intelligibili, ex Pneumaticis discendum, ac proinde, ubicunq; est, totum, non particulatim esse.*

XXXI. 3. Non est rationi nostræ, quà modum specialissimum, comprehensibilis & perfectè explicabilis: *sicut nec infinitatem Dei perfectè explicare valemus, quæ fundamentum ubiquetatis, & hæc porrò fundamentum omnipræsentiæ divinæ apud creaturas existentes est. Valet hîc* illud Siracidæ: Multa dicemus, & deficiemus in verbis, *consummatio autem sermonum ipse est in omnibus. Ne laboretis, non enim comprehendetis.* c. 43. v. 29. 35. *Et illud* Chrysostomi hom. 2. sup. Hebr. 1. *Quod ubiq; Deus est, scimus & dicimus: Quomodo autem ubiq; sit, intellectu non capimus.* 4. Non est sordium capax, etsi sordidis locis non absit. Lombardus *eleganter hac de re* l. 1. dist. 37. lit. H. Etiam spiritus creatus, ut anima humana sordibus corporeis leprosi vel quantumcunq; polluti inquinari non potest. *Sol quoq; radios suos sine sui pollutione super loca & corpora non solum munda, sed & immunda ac sordibus fœtentia effundit, quorum contactu homines & alia quædam res inficiuntur: Solis*

verò

verò radij impolluti & incontaminati ea contingentes existunt. Non mirandum, si essentia divina omninò simplex & incommutabilis omnia replet loca, & omnibus creaturis essentialiter inest, nec tamen cujusquam rei sordibus contaminatur vel contingitur. Unde Augustinus d. nat. boni T. 6. c. 29. *Cum in DEo sint omnia, quæ condidit, non tamen inquinant eum illi, qui peccant. De cujus sapientia etiam dicitur,* Sap. 8. *Attingit omnia propter suam munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrit. Simile alijs Augustinus dictis ibidem declarat. Manichæi Deum coinquinabilem docuerunt, quos notat & refutat Augustinus locis* c. 30. *citatis.* 5. Non admittit oppositum, absentiam sui à creatis, & distantiam, quamdiu nempe creata sunt & durant. *Quod enim essentiâ suâ infinitum ac immensum est, rei extrà coexistenti per immensitatem non potest non adesse. Quatenùs tamen ad specialem aliquem modum determinatur præsentia, & operationem complicatam habet, sic à Creaturis etiam existentibus abesse DEus potest, & præsentia divina oppositam absentiam ac distantiam admittere. Sic procul DEus ab impijs abesse dicitur.* Proverb. 15. v. 29. *Sic negatur DEus cum Israelitis ivisse.* Exod. 33. v. 3. *Præsentiâ nempe specialis patrocinij. Sic à Saule recessit.* 1. Sam. 16. v. 14. c 28. v. 16 *gratiosâ nempe operatione & commotione. Et Spiritus S. fugere idololatras & abstrahere se à cogitationibus non intelligentium dicitur.* Sap. 1. v. 5 *eadem gratiæ præsentia, cum aliàs universali adessentiâ orbem terrarum implere dicatur,* v 7. *Sic quatenus in præsentiâ potentiæ & universalis regiminis concursus & sustentatio DEI complicatur, hactenùs etiam oppositum admittit, quando nempe DEus manum subtrahit, & faciem abscondit, ut omnia pereant.* Ps. 104. v. 29. *Sic cum DEus hominem non concursu ampliùs conservat, moritur,* Psal. 90. v. 3. 7.

Unde mortui de manu DEI repulsi dicuntur. Ps. 88. v. 6. vel 5. *ut quædam editiones habent. Cum non vocat ampliùs rem, non conservatur.* Sap. 11. v. 26. *Ubi creata prorsùs annihilantur, & in vanum abeunt, etiam præsentia DEI abstractè sumpta, i. e. nuda adessentia, desinit. Est enim ea modus relativus,* coexistentiam aliorum, *quibus quid adsit, notans,* t. 21. *Desinentibus ergò coëxistentibus, ad quæ respectum involvit, & ipsa cessat.*

XXXII. 6. Proficiscitur & ex essentiali DEI ubiquetate, quatenus præcisè pro adessentia divinâ sumitur, *& DEus, ut ens infinitum & immensum, ob immensitatem essentiæ à positâ aliquâ Creaturâ substantiâ sui abesse nequit. Quod enim fines essendi & adessendi nec habet, nec habere potest, apud omnem creaturam existentem præsentiâ substantiæ & propinquitatis adesse oportet, secus totalitate essentiæ infinitum non erit:* Et in modis specialibus, *operatione aliquâ determinatis, ut in modo potentiæ universali sustentatione & gubernatione, modo gratiæ peculiari provisione & conservatione, modo vindictæ peculiari animadversione, modo gloriæ illustri beatificatione,* ex libera DEI cooperatione & concursu, *quo DEus vel ex generali benignitate sustentat, vel speciali favore auxiliatur, vel justitiâ & severitate sic postulante vindicat, vel veracibus promissionibus poscentibus ad finem perseverantes æternùm coronat. Accipiendum autem hoc de omnipræsentiâ essentiali, i. e. tali, quâ quid per essentiam & naturam sui est omnipræsens. Hæc in essentiali ubiquetate divinâ fundatur. Non quòd ipsa infinitas præcisè sit: sed quòd ex eâ, si creata existant, velut ex fundamento ratione nostræ cognitionis resultet. Si per aliud quid sit vel multipræsens, vel omnipræsens, ut per peculiarem gratiam & communicationem divinam, aut singularem unionem, non statim essentialiter ubiq;*

esse

esse oportet. Sic si DEus angelum aliquem multis simul locis praesentem sistat. Sic in humanitate Christi in personam verbi suscepta, & ad dextram DEI super omnia, quae nominari possunt, evecta, omnipraesentiam agnoscimus, quae tamen non essentiali DEI ubiquetate ubiq; est. Haec enim creaturae incommunicabilis, ut §. 38. ostendetur: Sed per unionis personalis gratiam, ex quâ habet, posse omnibus creatis adesse: & exaltationem ad DEI dexteram, ex quâ habet, de facto omnibus regendis adesse, praeesse, & majestaticè cuncta gubernare. Vnde nihil patrocinij argumento Reformatorum: Humanitas Ch. non est infinita & immensa. E. non omnipraesens: quod quidam eorum urgent, ut Polanus l. 2. Synt. c. 12. Sadeel. d. ver. hum. Chr. c. 3. & passim, Martin: in Theol. l. 2. c. 17. *Quibus consentit* Becanus p. 1. Th. sch. c. 6. q. 3. *aliiq;. Non enim ex omnipraesentiâ praecisè infinitas infertur, nisi essentialis sit, quam de humanitate Christi non confitemur, sed personalem: Nec si omnipraesens creatura aliqua à DEO per postatem absolutam statuatur, quod fieri posse & nobiscum fateri Iesuitarum quosdam* f. 4. § 88. *ostendetur, statim essentialiter fit infinita, cum ipsa ad omnia creata praesentia finitatem & terminos importet, sunt enim omnes res creatae finitae, nondum infinitae.* Conf. §. 19. 21.

XXXIII. 7. Praesentia divina apud universa creata est sine molestiâ, difficultate, aut adessendi laboriositate, *sine indigentiâ aut penuriâ, sine miseria aut dolore, aut ullo affectu imperfectionem importante. Fundatur enim in essentiali DEI ubiquetate* t. 32. *quae ex infinitate resultat, & naturam DEI insequitur. Vt ergò DEus sine molestiâ ubiq; in infinitis spatiis, quia infinitus: Sic & omnibus creatis praesens sine labore aut fatigatione. Benè* Augustinus ep. 57. Sic DEus est per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed

substantia creatrix ejus; sine labore regens, & sine onere continens mundũ. *Totum universum coram Deo sed ut nihil & inane reputatur.* Esai. 40. v. 15. 17. Conf. §. 6. *Vt tota hominis vita respectu aeternitatis est instar guttae ad mare, & pulvisculi ad arenam maris,* Sirac. 18. v. 18. *Sic totum universum respectu essentiae DEI instar puncti & nihili.* Conf. Scalig. ex. 140. s. 1. *Et ut infinitum nullius rei indigum, quia omnium perfectiones eminenter in se complectitur: Sic divina praesentia essentiali DEI ubiquetate fundata nullâ creaturâ eget, quia consequenter ex infinitate resultat, quae nullius indiga.* Conf. Ps. 50. v. 12. 2. Mac. 14. v. 35. Act. 17. v. 25. *Pulcrè* Augustinus ex. 57. ad Dardan. *DEus est totus in seipso, nec in quibus est, ita est, ut indigeat illis, tanquam non possit esse, nisi in eis.* Et in Psal. 113. *In quibus est ipse, tanquam indigentia continet, non ab eis, tanquam indigens, continetur.* 8. Saepè singularibus actibus in speciebus suis est juncta: *Vt singularibus motibus & virtutum excitationibus in heroibus. Sic in Ethnicis speciales motus excitavit interdum, ut Scipione, Caesare, Catone, Alexandro Magno. Quomodo dicitur: Nemo vir magnus sine afflatu divino extitit.* V. de. 3 misc. d. 9. t. 22. *Vnde Spiritus Sanctus reprimens vitia & excitans virtutes in gentilibus fuisse dicitur: Sed non sanctificans aut regenerans: Spiritus S. fuit in illis: Sed non sanctificationis.* Interdum *& miraculosis actibus & consuetis naturae cursus immutationibus est juncta. Vt in historiâ Iosuae inhibitioni cursus solaris,* Jos. 10. *In historiâ Hiskiae retrogressioni Solis,* 2. Reg. 2. *in historiâ Israelitarum aquae exsiccationi & divisioni,* Exod. 14. & Josu. 3. *aliisq́; passim ex sacris notis.*

XXXIV. 9. Praesentia divina non est expansiva, effusiva, diffusiva, confusiva, extensiva, definitiva, circumscriptiva, aut conclusiva. *Non enim DEus moles est, quae in longum*

longum, latum, vel profundum expandi, extendi, diffundi, circumscribi, vel includi possit, sed spiritus independens, finem non agnoscens. Præsentia corporeorum crassa, physica, & localis, est expansiva, circumscriptiva, & commensurativa: Extenduntur enim illa ad commensurationem termini ambientis, quo ita locantur & circumscribuntur, ut extra eum nec sint nec per naturam esse possint. Spirituum finitorum præsentia est definitiva & designativa: definiunt enim essentiam sui in tali spatio, ut simul extra illud existere non possint, etsi non ambiantur termino forinsecùs continente, ut loca corporeorum solent ambire. Divina præsentia nec per expansivam occupationem est, non enim DEus moles est, spatium per expansionem substantia occupans: nec circumscriptionem, non enim continetur DEus creaturis, sed magis continet: nec designationem, non enim terminus essentiæ aut spatij definitur, ut spiritus finitus, cum sit essentia totaliter infinita. 10. Non est contenta à creaturis, sed magis continens eas: non occupata, sed magis occupans: *non comprehensa, sed magis comprehendens. Hoc innuunt dicta scripturæ, quæ DEum aquas pugillo metiri, cœlos palmâ ponderare, terram & colles in staterâ librare,* Esai. 40. v. 12. *dexterâ suâ cœlos metiri,* c. 48. v. 13. *omnia in ipso esse, vivere & moveri,* Act. 17. v. 28. *omniaq́ ipsum verbo potentiæ portare ajunt,* Heb. 1. v. 3. *Unde præsentiam DEI apud creaturas magis activam in illis, quàm passivam ab illis esse colligitur. DEus præsens continet res creatas, non continetur ab illis. Rabbini DEum vocant* מָקוֹם, *locum, quasi omnia velut amplissima mensurâ continentem & mensurantem, ut* Galatin. l. 2. d. arc. Cath. ver. *memorat. Consentiunt & Reformati, ut* Calvinus in c. 40. Esai. Oecolampadius in c. 23. Jerem: Beza ep 7. Sadeel. d. verit. hum. Chri. c 3. arg. 1. *Quidquid omnipræsens & ubiq́, ait, id cœ-*

tum & terram ita implet, ut ea contineat. Quod DEus tanquam proprium sibi vendicat apud Prophetam, Jerem: 23. Esai. 40. & 48. *Similia* Alstedius p. 1. Th. natur. c. 7. *aliiq; habent. Et res extra controversiam esse apparet, si* Vorstium *similesq; excipias.*

XXXV. 11. Præsentia divina est omnium repletiva, non materialiter, compositivè, commixtivè, *aut inclusivè: sed eminenter, majestaticè, spiritualiter, sine mole, quantitate, aut dimensione, per propinquitatem essentiæ, virtutis, providentiæ, ex* Jerem. 23. Vide supra §. 17. 18. 12. Non est per essentiæ multiplicationem, sed indivisionem & unitatem. *DEus omnibus creatis præsens non multiplicatur essendo, quasi tot essentiæ divinæ essent, vel ejus partes, quot creaturæ, quibus præsens esse dicitur. Unum enim Deum novimus, non multiplicem,* Deut. 6. v. 4. 1. Corin. 8. v. 6. *& quidem summo unitatis gradu, essentiæ unitate numericâ: & eum impartibilem, est enim spiritus,* c. 30. *Unde nec multiplicari essentia illa in adessendo ad numerum & multitudinem creatorum, quibus adest, potest, quin lædatur unitas: nec partes multiplicatas per præsentiam admittere, quin summa simplicitas & spiritualitas, quæ omnium partium expers. Unitate ergò essendi Deus creatis est præsens, quia essentialiter est ubiq;. Unde à nullo creatorum existentium per eandem essentiam abesse potest, quamdiu creata existunt: Et essentialiter ubiq; est, quia essentia infinitâ præditus est; quam τὸ ubiq; esse necessariò comitatur.* V. §. 19. *Ad infinitam autem essentiam omnia creata collata puncti instar sunt,* §. 6. 33. *Ut illis simplici unitate adesse queat, non multiplicatione.* 13. Etsi generalis sit respectu totius Universi, ut objecti generalis: *simùl tamen est specialis, partim ratione entium individualium, à quibus DEus non abest. Sic etsi universe adest, simùl tamen*

tamen omnibus individuis in eo contentis adest, ut spiritibus, hominibus, brutis, plantis, metallis, elementis, stellis, cœlis, &c. Partim ratione modorum specialium, operationem aliquam complectentium. Unde præsentia vel potentiæ est, quæ interdum generalis dicitur, V. t. 29. *vel gratiæ aut vindictæ, vel gloriæ, quæ speciales dicuntur.* V. t. 24. 32.

XXXVI. *Hactenus* competentiæ *præsentiæ divinæ discussæ. Plura de eâ apud Theologos moveri solent, quando accurata ejus ventilatio Scholasticè suscipitur. Velut,* An præcisè *ex immensitate divinâ fluat, adeoq; simplicis sit necessitatis apud existentes creaturas, an liberæ voluntatis, ut & inhiberi ac suspendi possit? Itur hîc in diversa, quibusdam prius arripientibus, aliis posterius. Res magis Scholasticæ disceptationis, quàm cardinis fidei est. Omnipræsentia essentialis ex essentiali DEI ubiquetate resultans est simplicis apud creaturas existentes necessitatis, ex infinitate essentiæ divinæ necessariò resultans, quæ quia infinita, non potest non creatis omnibus indistanter adesse, nec evacuari, suspendi, aut impediri.* Non essentialis *& ex extraessentiali principio profecta inhiberi ad tempus potest, & voluntatis liberæ determinationem pro consilio divino certoq; statu admittit. Talis est in carne Christi, quæ omnipræsens dicitur personali habendi modo, non essentiali,* V. §. 32. *In hac omnipræsentia actum universalem per tempus exinanitionis suspensum fuisse praeunte scriptura confitemur.* V. f. 4. §. 135. Dices: Ergonè duplex erit omnipræsent. statuenda? *Quæ hactenùs una credita est & asserta à Theologis? R. Nō duplex propriè in se, sed duplex habendi, considerādi, & spectandi, ac attribuendi eam modus est agnoscendus,* essentialis, *qui ex essentiâ & naturæ immensitate fluit, ut in Deo & personis divinis: & nō* essentialis, *vel extraessent., q ex alio principio, quàm naturâ ac essentiâ fluit. Ut in Christo homine ex unione personali & assumptione hominis*

in

in personam verbi, exaltatione Christi hominis ad dexteram Dei, in altâ creaturâ ex liberâ voluntate & dispensatione DEI, ut si angelum aut corpus aliquod DEus omnibus Universi rebus simul præsens statuere vellet, quod citrà contradictionem posse l.4.§ 69. *sequ: docebo. A duplici autem modo habendi rem ad duplicandam proprio sensu ipsam rem ejusvè essentiam non est legitima consequentia. Et hoc intelligunt Theologi, cum inter omnipræsentiam essentialem & personalem distinguunt.* V.D. Gerhard. exeg. d. perſ. Chriſt. 2. §. 261.

XXXVII. 2. An actualiter à Christo homine *per tempus exinanitionis universalis apud creaturas præsentia exserta fuerit, quanquam occultè, an potiùs evacuata? Iterùm difficultas aliqua Scholastica, non fidei punctum. Quasi omnia ista ignoraret, cæterùm pietate perseveraret, salute non excederet. Satis est, de Christo homine resuscitato & ad dextram DEI exaltato, universalem præsentiam potenti dominio junctam juxta promissa Scripturæ credere, (de hoc enim propriè cum Adversariis est quæstio,) ut maximè de tempore exinanitionis simplex fides nihil noverit decidere. Quæstio non de omnipræsentiâ Christi hominis, sed tempore ejus est, quando cœperit. Non de substantiâ articuli, sed circumstantiâ. Non ob tale dissensionis punctum exagitandi sumus, quomodo mirificè sibi placent Iesuitæ ac Papistæ, ut* Compoſitio pacis Dillingana q. 9. *A*nonomus in tract. Wer hat das Kalb ins Aug geschlagen arg. 22 p. 50. 51. Stengelius in nov tinea Scripturæ p. 53. 97 98 100. Forerus im Uberschlag c. 4. § 12. Abſters fulig. Kesler l. ſ. 1. c 23. Luthero thaumaturgo, p. 50. *Præcipuè* in bèllo ubiquetiſtico p. 224. ſeq. Marx in anti or. Meyfart. ʃ. 3. p. 25. 26. 44. *Quæ dissidia & prose addunt* Reformatorum *nonnulli, ut* Anonomus in oratio Dodonæo p 43 Alius anonom. in ſtabilim. irenic p. 38 Alius in Ubiquit. triumphatâ C. Schröderum in præfat. *qui Christianum servum se vocat, aliiq. At ex* Noſtris *pars altera partem alteram in quibusdam secius sentientem ubi id non damnat, Neq. non ideò in fundamentalibus planus cum illis nobis est consensus. Videatur* Apologia Saxonica con. Tubing. admonit. ʃ. 5. c. 1. p. 789 810. D. Mentzerus in d. ſeſſione p. 1. p. 4. 5 23. ſeq. & aliis ſcriptis.

DE ESSE ALICUBI
EXERCITATIO QVINTA.
De Vbiquetate & definita Vbietate.

Respond. JOHANNE WINTERO Lubecens.

THESIS XXXIIX.

8. AN omnipræsentiæ majestas *Christo homini in incarnatione cõmunicata evacuari in humanitate potueret, ne in actum ad create directum semper & incessanter erumperet? Alij ajunt, alii negant. Hi inprimis inde, quòd Humanitas Christi in infinitâ hypostasi filij DEI subsistat, adeoq́; in eâ omnib. indistanter adesse debeat. De hoc* f. 4. §. 135. seq. *videbitur.* 4. An proximum & adæquatum universalis præsentiæ *Christi hominis apud creaturas fundamentum sit unio personalis, an secuta ad cælos ascensio, & ad dextram DEI exaltatio? Et unio principium primum & modus κοινωνίας, sessio ad dextram DEI & libera Christi θεανθρώπου voluntas principium proximum & formale universalis apud creaturas adessentiæ sit? Vides,* subtilitates *discuti magis, quàm fidei cardines. De quibus nec infans baptisatus quidquam cognoscat, nec rudis adultus capiat, etiam explicatum. In quibus multa omninò lateant animos temperatos, illudant curiosis! Christum θεάνθρωπον resuscitatum ad dextram virtutis & potentiæ DEI evectum omnibus præsentem adesse, quibus se adfuturum promisit, & in cælesti gloriâ regnare, utrinq́; consensus est. In hoc fidei cardo est. Hoc est, quod in Symbolo Apostolico ascendisse in cælos, & sedere ad dextram DEI patris omnipotentis Christum profitemur, & in quod baptisamur. Cætera difficultates ad accuratas mysteriorum explicationes, defensiones, confirmationes, deductiones, pertinentes sunt, quibus negotium imponas Theologis, à simplicioribus parùm*

 expectes.

expectes. Quod nec illi negare queunt, qui dissensum hic objiciunt. V. Marxium c. l. p. 46. 47. 48. *Videantur scripta utriusq; partis circa hæc quæsita elapsis ab hinc annis aliquot edita. Vtcunq; hæc ignores, aut in his hæreas, aut dissentias,* fidei ob id parum adimitur, quæ in simplicitate, non in inextricabili varietate esse debet. *Semper in his dissensus manebunt, quamdiu homines manebunt.* V. s. 4. §. 69.

XXXIX. *Satis de* præsentiâ divinâ *apud creatur. actû, quantum instituti ratio patitur. Addendum aliquid de specieb⁹ præsentia divinæ esset, quomodo* vel potentiæ, v. gratiæ, vel vindictæ, vel gloriæ esse ea *dicitur. Sed quia aliàs excrevit tractatio, & alia adhuc tractanda restant, quædam etiam ex* §. 29. 32. *hujus sectionis constant, alij occasioni hæc reservabuntur. Eleganter species has peculiaribus disputationibus deduxit Theologus inter Orthodoxos meritissimus,* D. Feurbornius T. 5. Marpurg. disp. 23. 24 25. 26. & 27. *quæ omninò hic lustrari possunt. Redeundum est ad* Ubiquetatem DEI essentialem, *de qua* §. 20. tertia *competentia assignata fuit. Iam* quarta *adjicienda.* 4. Ubiquetas divina est soli DEO propria, nulli creaturæ communicabilis, *h. e. non potest ulli rei creatæ communicari ad possessionem, usurpationem, aut denominationem. Ratio est, quia* 1. Est *à parte rei ipsa infinitas,* t. 19. *Et sic si creaturæ communicaretur ubiquetas divina, fieret infinita. At infinitas simpliciter creaturæ est incommunicabilis. Semper enim & necessariò creaturæ essentia manet finita. Et unum tantùm infinitum confitetur fides Christiana.* 2. Est essentialis *ubiq; adessentia, h. e. ex essentiâ necessariò fluit, in omnibus Vbi simpliciter esse. Vbiquetas divina per essentiam est talis, est enim essentia infinita, quæ necessariò in omnibus simpliciter Vbi est.* V. §. 5. *Non solùm est ubiq;, sed non potest non esse ubiq;. Sed ex essentiâ creaturæ fluere non potest, in infinitis spatiis esse, &*

non

non posse non in illis esse. E. nec ei essentialis DEI ubiquetas communicari potest. 3. Est essentialiter *interminabilis adessentia, h. e. quæ non solùm terminos non habeat, sed nec ullâ ratione habere possit.* §. 6. *Hoc etiam nulli creaturæ competere potest. Nulla enim creatura ita ubiq; sisti potest, ut terminos adessendi simpliciter nequeat admittere. Semper enim, utcunq; omnibus locis aut creatis à DEO præsens sistatur, per naturam sui terminos adessendi retinet & admittit. Secus infinitatis alicujus particeps fieret, quod creaturæ naturam everteret,* Conf. §. 17. 4. Est *in spatiis infinitis adessentia, quorũ nec finis adest, nec cogitari potest. Sic ubietas divina est in spatiis simpliciter infinitis,* §. 7. *Creatura ita locari non potest, salus enim ubietas infinitatem comitatur.* §. 19 *Et consequenter, cui infinitas non competit, nec ubietas infinita competere potest. Creaturæ autem infinitas essendi est incommunicabilis, ut conceditur. E. & adessendi. Hoc modo Ubiquetatem soli DEO competere & esse ἀκρι ὡνητον mecum ex Nostris fatentur* D. Jacob. Martini l. 2. part. Meta. s. 14. q. 8. D. Calovius Metap. par. gen. sect. post. c. 8. § 2 *Similiter Scholastici, ut* Thomas p. 1. q. 8. a. 4. Valentia T. 1. d. 1. q. 8. p. 4. Estius in 1. sent. d. 37. §. 4. Becanus p. 1. Th. Sch. tr. 1. c. 6 q. 3. *talem Ubiquetatem negant cum ulla re creatâ communicari posse, Et nos cum iisdem negamus, & legitimè negare possumus.* V. s. 4. §. 121. *Sed distinguendum hic* 1. Inter *omnipræsens esse, & ubiq; esse. Diversa enim hæc.* V. §. 20. 2. Inter *ubiq; esse, prout determinatur ad creaturas omnes, ad quas præsentiam dicit, hoc modo creaturæ communicari potest, & coincidit cum omnipræsentiâ, ut* §. 22. *promiscuè interdum sumi dictum, ac nondum infinitatem importat, cum omnia creata adhuc finita,* §. 21. 32. *Et prout indeterminatè ulterà omnes creaturas respectum ad infinita spatia involvit, prout hic sumitur. Ita proximè in infi-*

nitate fundatur, eamq; importat, & ex essentiâ rei competit, ac consequenter creatura non potest inesse, nisi infinitam eam facias. Aliud, multis, vel omnibus creaturis adesse: aliud, non posse non in infinitis simpliciter spatiis esse, sive creata existant, sive minus. Illud creaturæ communicari potest: Hoc simpliciter non; Est enim ejus, quod essentialiter est ubiq; & Ubiquetatis voce hic notatur. Plura ex §. 5. *sume.* Conf. f. 4. §. 120.

XL. 5. Ubiquetas non est ubietas prædicamentalis de prædicamento Ubi, sed supraprædicamentalis. *Non est de prædicamento Ubi; quia hæc* 1. Accidens *prædicamentale est, perficiens subjectum suum extraessentialiter, & compositionem prædicamentalem eidem inferens: At in DEum nec accidens prædicamentale ob summam perfectionem; nec compositio prædicamentalis cadit ob summam simplicitatem, ut alibi contra* Vorstium ostenditur. 2. Reale *discrimen à subjecto suo importat. Sed ubiquetas essentialis realiter ab essentiâ DEI non differt, quia à parte rei est ipsa infinitas divina, & infinitas est ipsa essentia divina.* V. § 19. 3. Ad *spatium finitum & determinatum naturâ sui respicit. Sed ubiquetas ad spatia infinita & multa simul.* Conf. sect. 1. §. 52. 53. Fonseca 5. Metaph. c. 15. q. 9. f. 3. & 7. *etiam DEI ubicationem ad prædicamentum Ubi referre vult. Sed hæc infinita est, ut antè visum. Infinitum autem determinato prædicamento assignari non potest, superant enim inf. excellentiâ sui; nedum accidentis prædicamento inferri debeant.* Conf. f. 1. §. 34.

XLI. Dices 1. DEUS ubiq; est. *Sed quod ubiq; est, & in aliquo spatio est. Hoc autem ipsum Ubi prædicamentale est. R. Quod ubiq; est, & in aliquo spatio est; sed non terminando & definiendo, quod ad Ubi prædicamentale requiritur, verum transcendendo, ut in omnibus spatiis simul sit. Et aliud est, omnibus spatiis adesse, & adessentiam illam ubi prædicamentale esse.*

esse. Sicut aliud, per omne tempus durare, & durationem illam quando prædicamentale esse. Prius de DEO verum, posterius non. 2. DEus quæri & *inveniri potest,* 2. Chron. 15. v. 2. 4. 15. Prov. 8. v. 17. Esai 55. v. 6. *Sed quæ quæri & inveniri possunt, sunt alicubi, & ubi prædicamentale admittunt. E. & DEus. R. τὸ alicubi esse vel notat non nuspiam, sed ullibi existere, sic DEus est alicubi: vel notat in ubi definito & terminativo esse. Sic non alicubi, sed ubiq́ esse dicitur, nuspiam enim ut ubi & loco continetur DEus. Quæritur non designando locum, ubi sit, sed vestigando naturam ac benignitatem ejus, eaq́ perfruendo.* V. 2. Chron. 15. v. 15. 3. DEus *dicitur esse in cælis, indeq́ respicere,* Psl. 14. v. 2. Psl. 33. v. 13. *indè descendere & eò ascendere.* Gen. 11. v. 5. 7. Exod. 3. v. 8. *E. est in ubi prædicamentali. R. Dicitur in cælis esse, sed ut cœli cœlorum eum non capiant,* 1. Reg 8. & *terra scabellum ejus dicatur* Esai. 66. v. 1. *nec in imo inferno absit.* Psal. 139. *Et descendere dicitur de cælo, non deserendo cælum, aut novum locum acquirendo, quasi ante absens ab eo fuisset: sed manifestando se peculiariter in terrâ: ascendere in cælum, non deserendo terram, sed manifestationem sui non ampliùs exhibendo.* Ἀνθρωποπαθῶς & *per condescensionem hæc dicuntur: Intelligenda sunt* θεοπρεπῶς & *per DEO decentem perfectionem. Supradicamentalis est DEI ubiquetas, quia sequitur naturam sui Entis, quod supraprædicamentale & eminens, ut alibi ostensum. Vt a. ens est, ita & ejus ubietas. Ens hoc, DEus, est infinitum, eminens, supraprædicamentale. Talis & ergò ejus ubietas.*

XLII. *Ita &* competentiæ *Vbiquetatis vel esse alicubi divini visa. Restat lustranda ejus* discrepantia, *quâ differentia ejus ab ubietate in genere* §. 1. *tractata, ubi prædicamentali, subjecto suo, cujus est, & infinitate divinâ, inquiritur.* Ab ubietate in genere differt 1. Specialitate. *Vbietas in genere*

est affectio entis generalis, ens ut ens est, consequens. Vbietas divina est affectus, Ens, in quantum tale est, divinum & infinitum, consequens. Vbietas transcendentalis in suo formali præscindit à finitâ & infinitâ, & indifferens ad utramq; est: Divina ad infinitum est determinata, nec finita rei ullâ ratione competere potest. Vt §. 39. *ostensum.* 2. Perfectione intensiore. *Vbietas in genere finitam & infinitam comprehendit, adeoq; extensivè perfectior est ullâ specie sub se comprehensâ, Quia nempe ad utramq; extenditur, & finitam ac infinitam ambitu suo simùl comprehendit. Intensivè tamen perfectior est ubietas divina ubietate transcendentali, quia à parte rei est ipsa essentia divina, quâ nulla res intensivè perfectior cogitari potest, quippe quæ omnium rerum perfectiones eminenter in se continet, & exsuperat. Vnde quidquid perfectionis in ullâ ubietate cogitari potest, id omne eminentissimo modo in ubietate divinâ, i. e. ubiquetate, contineri credendum est. Quomodo in Metaphysicis Ens, quâ comprehendit DEum & creaturas simùl, majus bonum extensivè dici solet, quia ad plura bona inferiora se extendit: non intensivè, quod summum bonitatis gradum, qui esse possit, contineat. Sic enim DEus majus bonum dici solet. Vt* Bellarm. l. 2. d. Concil. c. 19. *notat.*

XLIII. Ab ubi prædicamentali *differt Vbietas divina, quòd illa sit accidens prædicamentale, realiter à subjecto suo diversum, compositionem prædicamentalem cum eo inferat ex subjecto & accidente, ad spatium unum unâ vice occupandum sit determinata: Hæc omnia adversa habeat, nec accidens prædicamentale sit, nec realiter à substantia divinâ diversa, nec compositionem prædicamentalem ei inferat, nec ad unum spatium tantùm sit determinata, ut ex hactenus discussis patet.* A subjecto suo vel essentiâ divinâ *non realiter, est enim*

ipsa

ipsa infinitas divina, quæ est ipsa essentia divina, §. 19. *Sed ratione ratiocinatâ differt, quà essentia divina concipitur præcisè, ut spiritus infinitus ac independens: Vbiquetas, ut eadem essentia in infinitis spatiis existens, non absens, cogitata. Essentia divina habet se instar subjecti & suppositi; ubietas divina instar attributi & modi. DEus est sua essentia absolutè & formaliter: Sed non est sua ubiquetas formaliter, sed habet eam, ut attributum, aut magis in Concreto dicitur ubiq́ esse, quàm ipsa ubiquetas esse. Sicut ens non dicitur formaliter sua unitas, bonitas, sed unitate & bonitate præditum, aut concretè, unum & bonum. Quamvis materiali sensu & unitas ac bonitas dici queat, ob realem cum ente identitatem.* V. ſ.1.§ 22. *Quomodo & DEus sua ubiquetas, bonitas, justitia, &c. dicitur.* V. §. 22. ſect. 2. Ab infinitate *quomodo differat Vbiquetas*, §. 19. *hujus sectionis ostensum. Hæc etiam* de Esse alicubi divino *seu Vbiquetate CVM DEO disceptata sunto.*



SECTIO TERTIA

De esse alicubi definito & terminabili, ac in specie Ubi definitivo vel spirituali.

MAxima mortales audent, cùm Dei penetralia subire audent, ac in ejus rationes curiosiùs inquirere. Vix, quæ in terrâ sunt, satis cognoscimus: Quis cælestia pervestigare velit? Sap. 9. v. 16. *Iam quidem* quidnam Diæ præsentia mentis Promat, & in quonam sidat, quod fertur ubique, In partem & calamo discussi. O Maxime rerum! Jam grates, Lux alma tibi: Jam vota Tonanti Ferre decet, dubiis animumq; abducere ceptis. *Everberavimus fluctus difficilis istius maris, Esse alicubi divini, fato propitio.* Satis est, adiisse altum, & in partem vidisse. Non juvat, in penetralia illius mortalem se immergere. *Retrahenda est manus ab reconditâ tabulâ: ac mortalitatis æquam esse conditionem recordandum, quædam ignorare velle. Et de actis Deorum* magis credere, quàm scire, sanctius ac reverentius videri *par est, quod de Romanis suis quondam* Tacitus d. mor: Germ: §. 10. *reliquit.* Conf. §. 28. *Iam ad creatarum rerum attributa devolvamur,* ac quid in illis ubietates sint, quidvè admittant, *per* tertiam *hanc tractatus* sectionem *cum Deo expeditum demus.*

II. *Supra* s. 2. §. 2. alicubitas in interminabilē & terminabilem *divisa fuit.* Interminabilem *vidimus.* Terminabilis est, quæ adessendi terminos habere potest, & ex naturâ subjecti sui habet. *Dicitur etiam ubietas definita, terminata, determinabilis, interdum alicubitas specialiter, ut* s. 1. §. 8. *notatum: Interdum ubi, ubicatio, esse alicubi finitum. Non quòd ubi prædicamentale præcisè constituat vel absolvat alicubitas determinata: Transcendentalia enim, ut sic, à præ-*

à prædicamentalibus adhuc sunt abstracta. Ubietas autem est transcendentale quid, cum singulis suis modis intrinseca & essentialis enti, cui competit, U. s. 1. §. 5. 6. 53. Tanquam essentialis aliqua habitudo: sed quòd determinationem subjecti finiti requirat, quam & requirit Ubicatio prædicamentalis. Conf. t. 5.

III. *Ut ubietatem terminabilem distinctè tradamus*, absolutè & comparatè *spectanda veniet.* Absolutè, *quâ* definitionem, divisionem, & competentias aliquas. Comparatè, *ratione* convenientiæ *cum ubietate transcendentali, & ubi prædicamentali, &* discrepantiæ *ab eodem, ac ubietate interminabili, sive ubiquetate.*

IV. Definitio *esse potest:* Ubietas terminabilis est essentialis Entis finiti actualis, in quantum finitum est, ad spatium definitum habitudo, quà in spatio uno adesse potest & debet.

V. Habitudo essentialis, *i. e. competentia aliqua & attributum transcendentale, entis finiti naturam ut inseparabilis comes necessariò insequens, & ex naturâ entis fluens. Quomodo omnes modi transcendentales ens comitantur, ex ejusq́ essentiâ promanant.* V. s. 1. §. 18. *Ita & ubietas.* V. c. l. §. 5. 6. 53. *Nondum est præcisè ipsum ubi prædicamentale, quod accidens prædicamentale est, & realiter diversum à subjecto, & prædicamentaliter cum illo compositum. Quamvis postea ad ipsum ut inferius quid accommodari, nihil prohibeat. Quomodo finitum ut sit, ex suâ naturâ est transcendens quid: accommodatur tamen postea ad substantiam prædicamentalem, omnesq́ ejus species, ut simplicem, mistam, animatam, inanimatam, quæ prædicamentaliter compositæ.* Differt proindè ubietas terminabilis ab ubi prædicamentali, *ut prius à posteriori, potentiale ab actuali, inseparabile ab separabili. Ubietas est*

prius quid in re ipso Ubi, habitudo nempè & potestas intrinseca s. modus essentialis in re, quo determinatum Ubi res admittere potest & vult. Ubi prædicamentale posterius quid, & velut actus, quo res in determinato ubi de facto ubicatur ac collocatur. Ubietas est modus inseparabilis ab ente finito, est enim intrinsecus & essentialis enti: Ubicatio prædicamentalis abesse potest à re finitâ. Sic potest res finita à DEo in essentialibus perfecta statui, ut accidens nullum admittat, & consequenter nec Ubi prædicamentale, quod accidens reale est. Conf. s. 1, §. 53. *Nostra ubietas facit alicubi esse per modum essentialem: Ubi prædicamentale per verum accidens extraessentiale & prædicamentale.* Entis finiti, in quantum finitum, *per quod distinguitur ab ubietate interminabili, quæ entis infiniti, in quantum infinitum est, & ipsa ubiquetas est.* V: sect. 2. §. 7. *Ens finitum, quà tale, ex se & suâ naturâ ubietatem terminabilem poscit, quæ terminos admittere debeat, & ex naturâ sui habeat. Si interminata ejus fiat ubietas, præter supraq; naturam ejus id fit.* Actualis, *quia ubietas non est entis potentialis, sed actualis.* s. 1. §. 12. Ad spatium definitum, *i. e. determinatum & certum, ne ad spatia vel plura, vel infinita per naturam sui extendi posse putetur. Per naturam, inquam, sui, finitum unum & determinatum spatium poscit, quo ubicetur. Si extraordinariè à DEo subsistens aliquod in pluribus ubi locetur, jam supernaturalis potestas hæc est, non naturalis competentia. Semper habitudo naturalis ad definitum unumq; spatium in re finitâ manebit, quâ ei adesse queat, etsi de facto præternaturaliter pluribus spatiis adesse formetur.*

VI. *Ideò* ad ultimum *dicitur*, quà in spatio uno adesse potest & *debet. Illa ad spatium definitum habitudo respicit terminabilitatem, quà ens finitum uni spatio ut adesse*

queat,

queat, per naturam sui est terminabile & aptum. De facto etiam unum habere debet, quantum natura ejus requirit. Si secus contingat, ut in plurib. simùl ubicetur, manebit in finito ubietas essentialis & terminabilitas ad spatium, etsi ubicatio actualis in uno & terminatio ad unum non adsit. Secus ac hîc in ente infinito erat, quod & infinitis spatiis adesse potest, & de facto adest, nec potest non per essentiam sui adesse. V. s. 2. §. 5. *In casu, quo in multis spatiis simùl finitum à DEO locetur, quem possibilem esse* s. 4. §. 69. seq. *ostendetur, actualis ad unum spatium terminatio à substantiâ aberit: manebit tamen ubietas terminabilis, quia per naturam sui ad definitum ubi ea & terminari vult, & debet, nam respectum ad illud essentialiter semper obtinere pergit, etsi actualis terminatio quandoq; peculiari casu absit.* Conf. §. 9. 10. *Similiter se res in alicubitate circumscriptivâ habet, ut circumscriptio quà vim & habitudinem Naturalem, non semper quà factum & actualitatem, sit intelligenda, ut* sect. 4. §. 6. seq. *patebit. In rebus finitis definitiones multæ de potentiâ sunt intelligendæ, non actu, qui abesse interdum ab illis potest, & variis intercurrentibus impediri. Vt brutum rugiens, latrans, hinniens, ales crocitans, glocitans, &c. id est, rugibile, latrabile, crocitabile. Infinitum, quia purissimus actus est, nec impedimentum admittit, definitiones de mero actu intelligendas recipit, ut cum DEus omniscius, omnipotens, omnipræsens, ubiq; esse, &c. dicitur, non omnia sciendi, omnia valendi, præsenter adessendi ubiq; existendi facultas tantùm intelligitur, sed ipsi actus istarum rerum purissimi, simplicissimi, & in DEO ipso actuosissimi.*

VII. *Ita* definitio *Vbietatis determinatæ fuit. Succedat* divisio. Vbietas determinata vel est definitiva, vel circumscriptiva. Definitiva est, quâ ens finitum in spatio est impartibiliter, definiendo sibi spatium, in quo esse ejus sit citra spatij occupationem.

IIX. *Cir-*

IIX. *Circa intellectum horum advertatur* 1. Vocis ambiguitas. *Vbietas definitiva* interdum *generaliter sumitur pro omni ubietate entis finiti, & sic quemvis determinabilis præsentiæ modum notat, quatenus contra indeterminatam ubietatem distinguitur; quæ est entis infiniti; ut ubiquetas. Hoc modo omne creatum alicubi esse definitivè dicitur, quia â creante ipso definitur & determinatur. Nam interminatum naturâ & propriè solum increatum est, ut* Damascenus l. 2. d. orthod. fid. c. 3. *loquitur.* Interdum *specialiter, prout & ab ubiquetate & ubietate circumscriptivâ, quæ corporum propriè est, distinguitur, & medium quid inter utramq; esse docetur. Hoc modo propria spirituum finitorum dicitur, & hoc loco sumitur. Vocatur etiam ubietas per designationem, per definitionem, hunc ad modum, ibi est, hic non est, Vt* Scaliger. ex. 359. s. 5. *vocat. Cum sint in cælo angeli, in terrâ non sunt, & in terram â DEO missi non remanent in cælo, ut* Damasceni c. l. *verba sunt. Quibusdam etiam locus vocatur, unde angelos in loco esse dicunt.* Vid. s. 4. §. 40. 41.

IX. 2. Definitionis sensus. *Dicitur esse, quâ Ens finitum in spatio est.* Ens finitum, *ut excludatur infinitum, quod non in spatio, sed spatiis omnibus & infinitis est. Affectio enim finita non est subjecti infiniti.* In spatio est, *quia ubietas, qualiscunq; sit, aliter definiri, concipi, explicari, non potest, nisi per ordinem ad spatium qualecunq;, ut* s. 1. §. 35. *dictum. Definitiva ergò ubietas etiam ordinem ad spatium determinatum involvit, cui adesse dicatur id, quod definitivè alicubi esse dicitur. Hoc spatium determinatum ex Naturâ & essentiâ suâ poscit ubietas definitiva. Si subjectum ejus in multis simùl definiatur, manet tamen ordo naturalis ad spatium definiendum, quem ordinem dicit ubietas; & sic manet essentialis ubietas in illo: Definitiva ubietas terminabilitatem spatii ex naturâ sui*

requi-

requirit: Sed actualis terminationis ab istâ terminabilitate emanatio per potestatem supernaturalem, qualis divina est, impediri potest, ut Angelus in multis Ubi sistatur, retentâ naturali ad unum Ubi terminabilitate, quæ essentialis ubietas, ab ente finito spirituali inseparabilis, tanquam modus transcentalis, spirituali essentia intimè inclusus. Conf. c. 6.

X. *Nec per istud in multis ubi sisti immensus, infinitus, ubiq; præsens evadet spiritus finitus, aut modum essendi alicubi repletivum sortietur. Hæc enim in illis procedunt, quæ* per essentiam & naturam sui terminationem alicubi in uno essendi non admittunt, *h. e. nec terminabilitatem adessendi habent, sed naturâ illimitata & interminabilia in essendo aut adessendo sunt. Angelus autem, quamvis in multis ubi sistatur supra naturam, limitatus tamen semper in adessendo manet per naturam, talis, qui determinationem ad unum ubi ex natura sua habere possit & debeat, etsi actu eam non habeat per eum, qui supra Naturam & est, & operari, cum vult, supra omnem ejus potestatem potest. Natura quidem actus adessendi definitivus in uno tantùm spatio ab ubietate definitivâ emanat, & ubi ubietas definitiva alicujus rei statuitur, ibi naturaliter definito spatio actu talem rem adesse convenit: Ea tamen, quæ naturaliter & necessariò ab aliquo resultant, inhiberi possunt ab eo, qui supra Naturam omnia potest, ut non resultent. Potest enim actualem concursum suum negare ad actum illum naturaliter emanantem, citra quem causa naturalis nihil valet agere. Ita ergò si ad ubietatem definitivam concurrat, negato concursu ad actum secundum definitivum, relinquetur ubietas definitiva, non sequente actu secundò definitivè alicubi essendi, & sic facto in multis ubi sisti poterit spiritus finitus, manente in eo naturali ubietate, i. e. ad unum spatium determinabilitate, remoto actu, h. e. de facto*

ad unum spatium terminatum esse. *Evidentius hoc erit, cum & in* corporeâ substantiâ *hoc procedere confirmatum fuerit, posse virtute principii supernaturalis corpus aliquod in multis locis simul sisti citra contradictionis implicationem.* *Quod* l. 4. §. 69. seq. *faciemus. In spiritu n. minora adhuc impedimenta.* V. c. l. §. 122. *Sic actus naturales rerum etiam per naturam interdum abesse exempla docent.* V. §. 27.

XI. *Dicitur porrò, quod* Ens finitum in spatio impartibiliter sit. *Impartibiliter in spatio est, quod totum in toto, & totum in qualibet spatii parte, negativè, h. e. ut non habeat partes extra partes, vel essentiam extensam per partes subiecti, cujus una pars sit in aliâ, & alia in aliâ spatii parte, adeoq; frustillatim spatio commensuretur aut coëxtendatur. Fieri enim potest, ut quod definitivè alicubi est, nullam prorsus partem vel extensionem habeat, ut cum angelus in puncto indivisibili existit. Cum autem totum in qualibet spatii parte esse dicitur, Totalitas ista in spatio toto & parte ejus intelligenda est* ratione essentiæ rei finitæ, & perfectionum essentialium, *ut essentia rei per naturam ac naturales perfectiones & in toto spatio sit, quod sibi designavit, & in quavis ejus parte sit:* non ratione præsentiæ, quasi præsentia partis in spatio sit ipsa præsentia totius in spatio: *Hæc enim ita definita manet, ut tota quidem præsentia totum ubi definitum requirat, partes autem singulæ istius ubi non totam ejus præsentiam requirant, sed pars spatii hic sit, pars alibi. Quod definitivè adest, in se quidem est indivisibilis essentiæ: præsentia tamen ejus quantum ad actualem spatii designationem non est simpliciter impartibilis. Unaquæq; pars spatii exigit proportionatè partem quandam præsentiæ, & pars præsentiæ hic designari in spatio potest, pars alibi in eodem.* Sic anima rationalis *ut spiritualis substantia, etsi ratione essentiæ*

sentiæ & perfectionum essentialium tota sit in toto corpore humano, & tota in qualibet parte istius corporis, secundùm eandem essentiam, ut capite, pede, brachio, cum spiritus indivisibilis sit, nec quidquam essentiæ animæ vel perfectionis essentialis in minimâ parte membri, ut capitis, pedis, desit: Ratione tamen particularis præsentiæ non est in qualibet corporis parte tota; Non enim v. g. pars præsentiam proportionalem ad caput habere dicta simùl præsentiam habet ad pedes aut brachia, Nec pars ad totum præsens simul est ad digitos præsens, sed qualibet propriam suam ad partes corporis præsentiam & proportionatam ad diversas spatij partes applicationem habet. Quæ applicatio præsentiæ non debet confundi cum adessentiæ essentiæ & perfectionum essentialium.

XII. *Sic angelus præsentiam sibi ad spatium alicujus musei designans & totus est in toto museo, & in qualibet ejus parte totus totalitate essentiæ & attributorum. Nam in illo πȣ, quod prope me est, nihil deest, quod ad essentiam angeli constitutivè vel consecutivè pertineat, quod alibi sit repositum, quam in illo πȣ propè me, sed omnis angelica perfectio essentialis simùl in isto ubi propè me cum angelo est: Proportionalitas tamen præsentiæ partis in angelo, quam designamus, non est præcisè in quâlibet istius spatij parte, sed distincta in distinctâ. Non* quòd angelus in essentiâ partes habeat: sed quòd præsentia ejus in commensuratione ad totum spatium designatum per partes à nobis concipiatur. *Sic ergò pars illa præsentiæ angelicæ ad ubi propè me non est præsentia illa ad ubi remotum à me, sed diversa; & vicissim, præsentia angeli ad ubi remotum in museo non est eadem præsentia ad ubi propinquum in eodem, sed diversa velut pars præsentiæ: Ex quibus particulis aggregatur tandem præsentia ad totum, & angelus in toto spatio, quod sibi designavit, & quâlibet ejus parte totus*

totus adesse dicitur. Per hoc distinguitur Vbietas definitiva partim à repletivâ, quæ tota in quavis parte spatij est & ratione essentiæ, & præsentiæ, unde Enter, præsenter, DEus hic & ubiq; potenter dicitur: *partim à circumscriptivâ, quæ nec essentiæ nec præsentiæ causâ in qualibet parte spatij dici potest, cum singulæ partes rei commensurentur singulis partibus spatij occupati, & tota res in toto spatio, pars quævis ejus in parte ejus sit.* Dices: Sic anima *& spiritus erit extra seipsum, si in qualibet parte spatij totus est. Nam una pars spatij est extra alteram. E. & quod in diversis istis partibus extra se existentibus, extra seipsum erit. Ita* Vorstius p. 1. con. Sladum. c. 1. §. 23. Timplerus 2. Metaph. c. 5. q. 16. Amesius T. 4. Bell: eneru. l. 4. d. Euch. c. 3. n. 5. *R. Non sequitur. Sed hoc tantùm: E. erit in partibus extra seipsas existentibus, quod verum. Sic est in cerebro & in pede. Cerebrum est extra pedem. Non sequitur: E. & anima extra seipsam: Sed, E. est in cerebro, quod extra pedem. Et sequetur idem ex eorum doctrinâ, qui animam particulatim in parte esse statuerunt. Anima enim est in capite, corde, &c. Caput, cor, habent partes à se invicem distinctas, adeoq; extra se subsistentes. Si in illis est anima, ut esse oportet, E. etiam erit extra seipsam, quia in partibus extra seipsas existentibus à se distinctis est, quod tamen non sequitur. Anima ubi est,* ὁλικῶς, *non* μερικῶς *est, est enim* ὅλως ὅλον, *non* μερικόν. *Ita* Timplerus *animam rationalem impartibilem esse concedit* l. 3. Empsy. c. 1. q. 31. *Non ergò particulatim adesse potest, ubi adest, sed totam adesse oportet.*

XIII. *Dicitur porrò in definitione, quòd Ens finitum in spatio sit,* definiendo sibi spatium. *Ens finitum definitivè in spatio est, non sensu passivo, quòd definiatur aut designetur eo, quanquam interdum ita loqui soleamus: sed magis activo, quòd ubi ac spatium sibi designare possit pro lubito, in quo*

quo sit, modò majus, modò minus, intra limites tamen finitos sistendo. Spiritus creatus ita est in ubi, ut pro libertate suâ, ea, quâ lubet, amplitudine, sibi spatium designet, finitione quidem determinatum, amplitudine autem indeterminatum, ut isto ubi non ita circumscribatur, quò minus & extra illud esse possit, vel amplius ubi sibi designare possit: ut in corporeis rebus esse solet, quæ pro mole suâ tantum spatij occupant, ut majus minusvè occupare non possint. Hac de re Scaliger *argutè & more suo* ex. 359. s. 5. 6. Non per operationem, inquit, ut scripserunt, Angelus dicitur ibi, sed per definitionem. *Per definitionem hunc ad modum, inquam, Ibi est, hic non est. In rebus à sensu remotis balbutit humana lingua. Dicuntur* esse in loco angeli æquivocè, atq; etiam plusquàm æquivocè, *quia sunt in suo ubi, non per circumscriptionem, quemadmodum mea manus in aëre, sed per designationem. Ac contrahi ac diffundi angelos, assertâ sibi magnitudine, sed certâ finitaq́; verum est. Certam dico. Non enim in infinitum sese promoverit, neq́; ad puncti ἀδιαιρότητα se contraxerit. Indivisibiles autem dicuntur, quia non habent contrarium, à quo patiantur. Et sanè tota essentia in quâcunq́; parte est sine materiâ.* Hæc ille. Definitivè in spatio est spiritus, *non quòd illi perpetuò sit affixus, sed quòd illud pro tempore sibi vendicet. Non quòd tantum necessariò requirat, sed quod majus minusvè obtinere queat. Habet quidem præsentiæ spiritualis fines adessendi absolutè, non enim simpliciter ubiq́; esse potest: non tamen fines determinatè habet, ut nominari possit, quanti præcisè illi sint. Hâc ratione fines præsentiæ spiritualis illimitati dicuntur. Sic anima humana adest & corpori infantis, & pueri, & adulti ac virilis staturæ viri, & giganteo, tota & totaliter, quantùm ad essentiam & essentialem facultatem. Hactenùs determinatos fines non habet. Unde*

nec figura certa spirituali præsentia ex se & suâ natura assignari potest, sed quemcunq; figuræ locum spiritus sibi designare potest. Ex veteribus Hibernicus *locum Angelorum Sphæricæ figuræ tantùm esse asseruit. Sed hoc determinare curiositatis & vanitatis est, non certitudinis. Disputantem super hoc videsis* Tannerum p.1. d.5. q.2. dub.4. §.14.15. *Similiter quod de contractione ad ἀδιαιρέτητα adfertur, dubium obtinet. Potest spiritus præsentiam habere in indivisibili, i.e. puncto simili, nam definitivè alicubi existens totum in quâlibet parte est*, t.11.12. *E. & in indivisibili spatij parte totum est, quod instar puncti est. Et sic ex parte spiritus repugnantia nulla est, si omissa diffusione ponatur in indivisibili. Et quia Spiritus pro arbitrio sibi spatium designat, ut dictum, etiam minimum designare potest. Est enim substantia Spiritus indivisibilis, & liberè applicatur loco. E. & per substantialem præsentiam in spatio indivisibili esse potest, nec quidquam est, quo ad spatium divisibile necessitetur. Spatium autem indivisibile pro puncto est. De substantiali autem præsentiâ hæc accipienda, quâ spiritus in ubi est, non operatione transeunte, per quam eum alicubi alij ponunt, ut* §.14. *dicetur.*

XIV. Dices I. Angelus non poteſt efficere, *Ut substantia sua sit minoris perfectionis, quàm reverâ est. E. nec potest efficere, ut in minore spatio sit, quàm adæquato. Etsi enim liberè se applicet spatio: tamen non minori applicari potest, quàm reverâ ejus substantia est. Sicut homo liberè se applicat loco, minori tamen non potest, quàm quantitati suæ adæquato. E. non potest in puncto indivisibili existere. R.* Aliud eſt perfectio ſubſtantiæ in angelo: *aliud habitudo ad spatium tantum vel tantum. Illa necessaria est in Angelo, & ipsi angelo immutabilis. Hæc libera & mutabilis. Alia etiam est ratio quantorum & spiritualium. Quanta necessariò spatium*

bium adæquatum suæ quantitati postulant, quia moles distenta non minori spatio constringi potest, quàm reverâ est: spiritualia quantitate carent, eoq; spatij divisibilis occupatio illis est voluntaria, sicq; & in indivisibili esse possunt. 2. Si Spiritus *liberè spatij amplitudinem determinare possunt, E. minimus angelus ab oriente in occidentem spatio se extendere poterit. At sic non minimus, sed maximus erit, & committetur Contradictio. R. Spiritus liberè spatij amplitudinem sibi determinant, quia nobis determinari quantitas illa nequit: finitè tamen & adæquatè pro substantiæ suæ ratione, nec in infinitum ubi extendendo: nec in spatium prorsùs essentiæ inadæquatum, quale illud ab oriente in ocidentem erit. Habet enim limitatum & conveniens ubi spiritus, non solùm ratione latitudinis, sed & longitudinis, prout ordo Universi in quolibet ente determinatos limites requirit. Sic in sphærâ activitatis sunt certi fines, ultra quos naturaliter non proceditur, quamvis in particulari in istis finibus magna sit latitudo. Sic ignis aget in quadratum longum 8. pedes: in idem 16. pedes longum non aget, quia distantia activitatis ultra debitos fines erit.* 3. Punctum nequit esse locus. *E. nec spiritus in eo, ut loco, esse potest. R. Nequit esse locus sc. rei divisibilis: tamen indivisibilis, qualis Angelus. Ita punctum est in suo loco, etsi indivisibile & minimum quid. Spiritus autem magis adhuc indivisibilis, quia nec partes habet, & in toto totus, ac qualibet parte totus est,* §. 11. 12. *Punctum autem indivisibile solùm, quia partes non habet, non autem quòd in quâlibet parte spatij totum sit. Punctum est indivisibile in genere tamen quantorum, ut ex ejus continuatione quantum fieri possit: Spiritus indivisibilis extra supraq; omnia genera quantorum, ut ex eo nunquam quantum efformari possit.*

XV. *Ulterius in definitione dicitur, quòd* in spatio esse ejus sit citra spatii occupationem. *Esse ejus ibi est, ne finitum spirituale intelligatur in spatio esse* tantùm per operationem transeuntem; *non essentiæ positionem, quod ex Antiquis* Thomas in 1. sent. d. 37. ap. Tannerū p. 1. The. Schol. d. 5. q. 2. dub. 1. §. 6. & dub. 3. § 3. Ægidius & Ferrariensis ap. eundem dub. 3. c. l. Capreolus in 2. sent. d. 2. q. 1. ap. Valentiam T. 1. Th. Sch. d. 4. q. 3. p. 2. *aliiq; senserunt. Quibus rectiùs alij per substantialem propinquitatem eos alicubi ponunt, ut* Thomas *interdum, ostendente* c. l. Tannero, Tannerus, Valentia, Scotus, Richardus, & Nominales *apud* Valent. c. l. Bonaventura in 2. dist. 2. Malderus in p. 1. Thomæ, q. 52. a. 1. Becanus p. 1. T. S. tr. 3. c. 1. q. 5. Scheiblerus p. 1. Metaph. c. 17. §. 9. Suarez d. 51. Meta. s. 4. §. 11. aliiq;. *Estq; communis sententia, cujus opposita* Parisiis *inter errores est damnata, ut Malderus* c. l. *refert. Nam* 1. Nulla ubietas *formaliter in operatione transeunte consistit, sed substantiali ad spatium propinquitate, ut* s. 1. §. 33. *ostensum. E. nec ubietas definitiva, quæ est spirituum.* 2. Ex scripturâ *scimus, Diabolum & animas damnatas verè esse in inferno, & sic alicubi, ubi tamen nihil operantur ad extrà, sed patiuntur, & ab igne infernali torquentur.* Matt. 25. v. 41. Apoc. 20. v. 10. *E. alicubi sunt spiritus per essentiam, ubi nihil operantur per potentiam. Ex eâdem scripturâ scimus, totam legionem diabolorum fuisse in uno homine obsesso substantialiter, seu quantum ad præsentiam substantiæ.* Marc. 5. v. 9. Luc. 8. v. 30. *Non tamen omnes diaboli semper operationem exercuerunt in hominem, ut credibile est. Aliud ergò, præsentia spirituum substantialis, aliud operatio eorum transiens.*

XVI. 3. Operatio *est posterior unione angeli cum loco; prius enim naturâ est, eum hic esse, quàm hic operari, sicut*

prius

prius est esse, quàm operari. E. operatio non est ipsa præsentia spiritus in ubi. 4. Si spiritus *est alicubi per operationem, aut per immanentem erit, aut transeuntem. Non illam, quia per eam non magis tangit locum contactu virtualis quantitatis, quàm per substantiam suam. Nec hanc, hæc enim esset in loco, tanquam in subiecto. Vbietas autem spiritualis est in ipso spiritu, tanquam in subjecto essentiali. Fundamentum autem & relatio debent esse in eodem subjecto. E. per nullam operationem spiritus est alicubi, sed per substantiæ designationem.* 5. Angelus *Gabriel expeditâ legatione apud Mariam nihilq; amplius externè operans fuit adhuc alicubi, Nazarethæ, in domo Mariæ, distititq; Hierosolymu, alijsq; locis mundi. E. aliud in ipso fuit operatio externa, aliud alicubitas. Et sic alicubitas spiritus non est ipsa operatio transiens.* 6. Ut angelus *est in tempore & duratione aliquâ per existentiam essentiæ in nunc, etiamsi extrà nihil operetur: Ita & in loco aut ubi esse potest per eandem existentiam in ubi vel alicubi, etiamsi operatio desit. Par enim durationis & ubietatis hactenus est ratio. Vt enim illa modus transcendentalis ad nunc, si hac ad hic respiciens est. Sed est in tempore per substantiam, non operationem tantùm. E. & ita in ubi suo est.*

XVII. *Sunt & alia variæq; circa hoc determinationes, quibus alicubitatem spiritualem alij determinant.* Dixerunt aliqui, *spiritum in Vbi esse per qualitatem vel proprietatem aliquam divinitùs ei impressam, ut* Alensis. Alij *per aliquid instar operationis activæ aut passivæ, quà angelus suo ubi præest, illud conservat & tuetur; ut* Thomas, Capreolus, Picus Mirandulanus. Alij *per applicationem virtutis qualemcunq; ad operandum, etsi operatio ipsa transeat, ut* Thomas, Cajetanus, Albertinus, Gothofredus, Argentinas. Alij *per modum aliquem absolutum substantiæ angeli additum, & ex ar-*

burio ejus pendentem, ut & eo carere possit, ut Vasquetz, Henricus. Alij *per modum intrinsecum, qui ubi sit, in ipsâ substantiâ spirituali immediatè hæreat, motaq; illa mutetur & desinat, alio succedente, ut* Suaretz & alij. *Has varietates recensentem confutantemq; vide* Tannerum c. l. *Hic operæ fuerit pretium, objecta quædam annotasse, quibus contra nostram de immediatâ substantiæ spiritualis ad determinatum spatium propinquitate insurgi queat, & solutionum fontes subministrasse.*

XVIII. Dices 1. Si spiritus *est in ubi per substantiæ designationem, poterit inter ipsos spiritus propinquitas aut distantia immediatè in illis sine interventu corporum fundata esse, & poterit spiritus realiter distare à corpore, etsi nec spiritus in corpore sit, nec inter ipsum & corpus reale spatium interjectum sit. Sed hoc fieri non potest, quia spiritus est indivisibilis, & sic per se distantiæ aut propinquitatis non capax, hæc enim* divisionem *important. Nec ullum reale intervallum seclusâ quantitate esse potest, adeoq; nec distantia realis, quæ in eo fundatur, intelligi potest. E. nec spiritus immediatè per substantiam alicubi esse potest. R.* 1. Spiritum *immediatè per substantiam alicubi esse dupliciter intelligi potest.* 1. Subjectivè, *ut nulla alia substantia ab spiritus substantiâ diversa, per modum subjecti vel causæ subjectivæ mediantis se habens sit, cui immediatè conveniat esse alicubi. Sic spiritus immediatè per substantiam suam est alicubi.* 2. Formaliter, *ut nulla causa & ratio formalis existendi in ubi seu essendi alicubi in spiritu sit, præterquam ipsa substantia spiritualis: sic non immediatè est alicubi, sed per modum aliquem realem & intrinsecum essentiæ spiritualis, ubietatem in substantiâ spiritus immediatè fundatam, quem aliqui Ubi angelicum vocant, Nos ubietatem definitivam diximus,* §. 78. *Ita spiritus non est alicubi per essentiam*

sentiam velut formalem rationem, sed essentiæ insitum essentialem modum transcendentalem, ubietatem. Immediatè est in ubi, medium per modũ subjecti & causæ subjectivæ sumendo: mediatè, illud per modum formæ accipiendo. Sic corpus est in loco circumscriptivè, immediatè, si subjectum species: mediatè, si formam, per quantitatem corpoream. Non quòd quantitas ratio formalis existendi in loco corpori sit: sed quod immediata ratio exparte subjecti sit, quâ subjectum aptum est hoc modo, circumscriptivè, in loco esse. Sic in angelo prima ratio subjectiva, cur alicubi sit, est ipsa substantia spiritualis. 2. Negatur Minor. *Quòd spiritus est indivisibilis, facit, ut à seipso secundùm aliam & aliam partem distare non possit, quomodo caput hominis à pedibus, brachium dextrum à sinistro distat, non enim partem extra partem habet, sed est tota & indivisibilis entitas: non autem, ut ab alio sive spiritu sive corpore secundùm se totum verè ac realiter distare non possit, etsi nullum reale spatium interveniat, quod interjaceat. Hoc enim ad realem distantiam non semper est necessarium. Sic cælum à terrâ reverà distabit, etsi medius aër à DEO annihilaretur, & sic interjectum spatium vacuum esset. Sic parietes musei alicujus verè distabunt, etsi interjectus aër annihiletur. Sic duo puncta extrema lineæ alicujus distare pergent, etsi intermedia expungantur. Fundamentum proximum præsentiæ vel distantiæ realis non est quantitas corporea, vel interjectum corpus: sed* ubi reale & intrinsecum extremorum inter se distantium.

XIX. 2. Si spiritus *per substantiam est alicubi, & distantiam habere potest, etiam situm habere poterit. At hic est partium positio in loco. E. angelus habebit partes extra partes, & erit corpus. Sed hoc absurdum. E. & prius.* R. Neg. Consequentia. *Ex distantiâ ut sic, non sequitur situs. Distantia*

tia est remotio & discontinuatio extremorum, quæ distare dicuntur. Hæc in spiritibus substantiâ sui distantibus locum habet. Sic cum Gabriel est Nazarethi, Michaël Babylone. Situs est positio partium in ubi, vel modus ex positione partium in toto resultans, qui non est in spiritibus, quia partes non habent. Ita nec differentiæ situs, ut suprà aut infrà, ad dextram aut sinistram, esse, immediatè de illis sinè respectu ad corpora dici possunt. 3. Spiritus est alicubi per liberum voluntatis arbitrium, quò spatium hîc aut ibi, tantum vel tantum sibi designat. E. non immediatè per substantiam. R. Neg. Conseq. Immediatè per substantiam est alicubi, si subjectum alicubitatum species. Non solus intellectus, voluntas, operatio, & affectio spiritus est alicubi sed essentia spiritualis: Mediatè, si rationem formalem, V. §. 18. Effectivè, per libertatem arbitrij, quà se liberè huic aut illi spatio applicat, sicq́ ibi esse dicitur. Ita causa extrinseca efficiens essendi alicubi in spiritu est vel principalis, ut Deus, quando spiritum in tali ubi creat: vel secundaria per modum applicantis, ut voluntas spiritualis, quà pro arbitrio in hoc vel illo, majore vel minore spatio spiritus esse potest, manendo tamen intra latitudinem spatij adæquati & determinati, ne infinitum sibi designare posse putetur. V. §. 13. Vel per modum exequentis, ut potentia motiva spiritus: per hanc enim proximè sibi designat ubi, qualecunque placuerit: Vel per modum causæ finalis, sic vel quies, vel operatio aliqua causa est, cur hoc vel illud ubi sibi designet spiritus. Sic beatifica Dei visio finis est, cur in Cœlo ubicetur spiritus, legatio & jussa Dei expedienda, cur in terrâ, Nazarethi, Bethlehemi, Babylone. Per modum formalis rationis per ubietatem definitivam est alicubi.

XX. Vltimò dicitur in definitione, quòd esse spiritus in spatio sit citra spatij occupationem. Spatium occupare dicitur,

citur, quod ita est alicubi, ut omnes spatij dimensiones repleat, adeoq; aliud ejus generis juxta se per naturam ferre non possit, sed naturâ sui repugnet, Vt istis spatij dimensionibus, quas aliquid occupavit, aliud corpus applicetur. Hoc modo in spatio esse dicuntur corporea & quanta, quæ circumscriptivè alicubi esse dicuntur, spatium sibi commensurabile ita occupando, ut quamdiu ibi sunt, aliud ejus generis simùl non admittant. Sic manus est per circumscriptionem in spatio aëris, aquæ, & quamdiu illa ibi est, in isto spatio ejusq; quantitate aliud corpus esse non potest, sed ubi aliud eò successerit, prius decedere oporteat. Secùs penetratio dimensionum & corporum quantorum committenda fuerit, quæ per naturam non admittitur. Spiritualia autem in spatiis sunt citra occupationem: designant sibi spatium, sed ut simùl & aliud in eodem admittant. Sic anima ubi illud sibi definit, in quo simùl corpus ejus est, cum quo essentialiter tanquam forma substantialis materiæ suæ unita est. Nec est in corpore, quasi in cavis partibus corporis, quomodo aër corpus nostrum, aqua spongiam aut linteum & panem spongiosum, ignis poros ferri subit & permeat: aut in corpore velut in loco, ut alienè & parum ad animæ nostræ sublimitatem decenter hic philosophatur Timplerus l. 2. Meta. c. 5. q. 8. & l. Empsy. c. 1. q. 11. *Quem rectè castigant* D. Jacob. Mart. l. 2. d. loc. c. 18. 19. & D. Meisnerus p. 1. P. S. p. 611. *Sed simùl existendo in illis spatiis, ubi proprius locus est ipsius corporis. Et quamdiu forma corporis est, non alibi est, quàm in spatiis à materiâ suâ occupatis. Sic angelus ita alicubi est, ut ibidem & alij angeli aut corpora esse possint. Sic cum ad tempus corpus aliquod subit, illudq; unit, in illis spatiis est, quæ corpus sibi unitum occupat, nec impedit, quò minùs corpus ea occupare possit quandoquidem in illis immaterialiter & indivisibiliter est, ut nullam quantitatem eorum adimpleat, atq; sic consortiū corporis simul in illis existendi non impediat.* V XXI.

XXI. *Ita Scriptura legionem Dæmonum in uno homine fuisse docet.* V. §. 14. *Nullam enim dimensionum penetrationem præsentia eorum admittit, quò minùs multi in uno esse queant.* S. Bernhardus hom. 3 *super Missus est, clausis ostiis angelum Gabrielem ad Mariam intrasse putat. Et ex analogiâ corporum simile quid ostenditur. Duo corpora solida penetrativè in eodem loco per potentiam absolutam esse possunt, ut exemplo Christi clauso matris utero nati, apposito lapide sepulcri & non remoto resurgentis, & clausis januis, nec apertis, ad discipulos celerrimè intrantis* S. Patres *probare solent, ut alibi ostenditur. Similiter id fieri potest, cum unum illorum vel utrumq; habet modum existendi spiritualem, ut de futuris corporibus beatorum glorioso Christi corpori conformandis iidem Patres docere solent, quòd celerrimâ agilitate quocunq; voluerint, se vibrare valitura sint, non obstantibus quibusvis solidis corporibus. E. & duo spiritus in eodem ubi naturaliter esse poterunt. Quod enim in corporibus ob quantitatem potestatem supernaturalem requirit: in spiritibus naturæ potestatis esse potest, quia quantitatis expertes sunt, quæ obex istius penetrationis naturaliter esse solet. Similiter duo indivisibilia corpora, ut puncta, possunt simùl in eodem loco esse, & duo lumina corporalia simùl in unâ aëris parte esse possunt. Sic radius solaris in eadem aëris parte cum aëre, lumen cum aquæ parte simùl in eodem ubi esse possunt. E. magis angeli simul in eodem loco. Nam allegata ista sunt corpora subtilia & penetrabilia. Angeli prorsùs corporum sunt expertes. E. in his magis hoc est verisimile. Et ita in hoc* ſ. Bernhardus c. l. Scotus, Gabriel, Ariminensis, Marsilius, Occamus, *aliiq; apud* Tannerum p. 1. Th. ſch. d. 5. q. 2. dub. 5. n. 4.

XXII. *Oppositum tamen iterùm quidam hic tenent, & simul plures angelos in eodem loco naturaliter esse non posse arbitran-*

bitrantur, ut Thomas, Bonaventura, Richardus, Ægidius, Capreolus, Baſſolis, *apud* Tannerum c. l. *Argumenta eorum præcipua ex falsâ hypotheſi procedunt, quòd ſpiritus non in ubi, niſi per applicationem operationis ſuæ. Plures autem in uno ubi ſimùl operari nequeant, cum reſpectu unius effectus plures cauſæ totales ejuſdem generis eſſe non poſſint. Antecedens falſum eſſe §. 15. 16. oſtenſum. Sed utcunq; verum eſſet, nondum procederet conſequentia. Nam quòd unus effectus nequeat à duabus cauſis totalibus ejuſdem generis eſſe, valet de uno effectu ad numerum, niſi cauſæ iſtæ peculiarem dependentiam ad ſe invicem habeant. Sic enim duæ cauſæ totales unum numero effectum edent. Sic homo movet, & DEus movet, motum & vitam miniſtrando, uterq; eſt cauſa motus totalis, non partialis: ſed cauſarum iſta genera, efficientia, neceſſariam ſubordinationem ad ſeſe habent, & eodem genere conveniant, causâ, etſi ſpecie differant. Sic duæ candelæ unum numero lumen in conclavi producent.* Vel valet *de effectu prorsùs adæquato ad utramq; cauſam, non autem aliquaterùs inadæquato. Sic duo Angeli unius operationis in ubi cauſæ eſſe poterunt, ſed inadæquatè quodammodo, ut alter magis cenſeatur cauſa operationis, alter minùs:* Vel Angeli *ſimùl in ubi exiſtentes non forent cauſæ totales unius operationis, ſed partiales: vel forent cauſæ diverſorum effectuum, non unius. Sic unus motum localem eleret, alter intellectionem, tertius electionem in aliquo ſubjecto humano, &c.*

XXIII. *Ut clariùs, quæ hâc de re diſceptari ſolent, pateſcant, advertantur ſequentia.* 1. Non eſt *quæſtio, an duo ſpiritus in uno ubi vel loco, ut* Tannerus, Malderus, & alij *loquuntur, intrinſecè eſſe queant, hoc enim fieri nequit, cum quilibet ſpiritus ubietatem ſuam eſſentialem & intrinſecam diſtinctam ab ubietate cujusvis alius angeli habeat, quæ identi-*

ficatur essentiæ subjecti, in quo est, & modaliter tantùm ab eo distinguitur. Hic unum angelum esse in ubi alterius perinde est, ac essentiam unius esse eandem numero essentiam alterius dicere, quod inconsistens, cum essentiis numero distinctis conveniant: Sed extrinseco, *An in uno spatio, quod sibi determinant, simùl consistere possint?* 2. Nec de ubi *communi quæritur, an v. g. plures angeli in uno conclavi simùl esse queant, de hoc enim nemo dubitat: Sed proprio. Nec de ubi utriq; spiritui prorsùs adæquato. Existentibus enim duobus in uno ubi, alteri inadæquatum illud futurum esset, alteri adæquatum. Perfectio enim angelorum individualis ut diversa & inadæquata est; ita & spatia eorum his magis adæquata esse possunt, quàm illis.* 4. Nec *quæstio est, an angeli boni, ordinis & reverentiæ velut causâ, si ulla necessitas postulet, ubi sua sibi invicem cedant, nec facilè unus plura simùl sibi designet. De hoc enim in bonis spiritibus non facilè dubitandum, inter quos perpetuus ordo, consensus, & harmonia viget. De malis secùs esse potest, in quibus æterna confusio, factio, horror, & dissidium obtinet. Unde multi unum simùl ubi facto rapere possunt. Sic veteres aërem plenum dæmonibus ajunt; quasi unus præ altero ubi ista sibi rapiat. Et Apostolus Diabolum principem aëris vocat.* Ephes. 6. v. 12. *Sed* An, si velint, interdum plures in uno ubi extrinseco proprio simùl consistere possint, citra repugnantiam? *Et hoc in affirmatione intentum.* Dices: Contra ordinem *Universi hoc procederet. Nam ut is postulat, ne angeli infinitè à se distent: ita idem vult, ne omnimodè indistent, h. e. in uno ubi proprio simùl sint, sic enim penitùs à se indistant. E. nec hoc de illis asserendum. R. Postulat is ordo, ne omnimodè indistent, scilicet in ubi intrinsecis vel ubietatibus essentialibus, ut ubi intrinsecum unius sit & ubi alterius, sic enim essentiæ angelorum numericæ confunderentur.*

tur, ut antè dictum: Hic indistantia eorum requiritur: Non autem in extrinsecis, ut in uno ubi extrinseco vel spatio, quod sibi designant, simul plures esse nequeant. Adhuc enim manebunt indistantes essentiis numericis, & eas consequentibus ubietatibus intrinsecis, quod ad confusionem ordinis evitandam satis est.

XXIV. *Hæc* circa definitionem *ubietatis definitivæ sint dicta.* Divisio ejus *aliqua secundùm materialia esse potest & subjecta, quæ ubietate definitivâ spatiis suis adesse cognitum habemus.* Hæc vel spiritus completi vel incompleti sunt. Completi, qui subsistentiam per se totalem & ad alterum non ordinatam habent. *Vt angeli partìm boni, partim mali.* Incompleti, *qui subsistentiam partialem ex naturâ sui ad completionem alterius essentialem ordinatam habent, ut animæ rationales s. humanæ. Vnde pro ratione subjectorum horum ubietas definitiva* vel angelorum *esse potest,* vel animarum *humanarum.* Angelorum, *qui separatis subsistentiis spatia sua, in quibus sunt, sibi definiunt. Ita angeli boni, mali, ex naturâ suà ubietates essentiales habent, quibus ad unum ubi sibi destinandum naturaliter determinantur. Omne enim finitum ubi determinatum naturaliter poscit, in quo & adesse possit, & de facto adsit, nisi superioris agentis vi impediatur.* V. §. 9. 10. *Angeli autem sunt spiritus finiti.* Animarum *humanarum, quæ subsistentias* vel incompletas *& conjunctas in ubi corporum suorum habent, quæ tanquam essentiales formæ suas materias informant,* vel completas *& sejunctas, ubi solutæ à corporibus separatim subsistunt, donec suo tempore iis reduniantur, quorsum naturalem aptitudinem & inclinationem habent, quomodo ut formæ esse in suis materiis concupiscunt.*

XXV. Circa subjecta *Vbietatis definitivæ duo hîc in quæstionem veniunt.* Formæ materiales substantiales & accidentæ

dentales, q̄uam ubietatem habeant, an definitivam, an circumscriptivam? *Formæ materiales dicuntur, quæ à materiâ pendent in fieri, esse, & operari, & extra eam existere non possunt. Tales sunt ex substantialibus formæ mineralium, plantarum, & animalium brutorum. Ex accidentalibus qualitates, quantitates, actiones, passiones, &c. Hæ spectari possunt, vel ut in potentiis causarum suarum latent, vel ut ex eis actu eductæ sunt, factoq; existunt. Priori statu sunt entia potentialia, quæ nondum sunt, sed aliquando esse poterunt. Ubietas autem modus aliquis* entis actualis, *non potentialis, est, ut* l. 1. §. 12. 24. *determinatum. Hâc ratione de specie aliquâ ubietatis illis assignandâ cogitandum non est. Posteriori statu, ut actu extra causas suas eductæ sunt, quidam* ubi circumscriptivum *per accidens illis tribuunt, quatenus & in quanto recipiuntur, & ad extensionem partium sui subjecti extenduntur, & à subjecto in existendo & operando pendent, adeoq; unam partem extra aliam habent.* Quidam definitivum, *quatenus & ex naturâ suâ non corpora & quanta sunt, sed corporum in accidentaliter qualificando certa principia formalia: etsi materiales dicantur, quia in materiis, nunquam extra eas: nec per se & propriam essentiam extenduntur, sed ratione subjecti & materiæ, in quâ sunt. Sic albedo ex se inextensa & immateriata qualitas est: ex subjecto, ut pariete, panno, linteo, extensionem in longum aut latum mediante subjecti superficie, sortitur. Ita eruditio qualitas immateriata in se: ex extensione ad objecta varia, aut intensione scibilium suorum magna, exigua, ampla, diffusa, profunda, &c. dicitur. Ita quidam dicuntur latè docti, sed non profundè, quorum cognitio circa varia scibilia quidem sparsa est, sed acutè ac per omnes minutias eorum non penetrat. Omninò hic distinguenda* natura formarum in se, à conditione subjectorum, in quibus sunt. *Formæ*

ipsa

ipsæ in se spectata definitivo adessendi modo ubicari dici possunt, sunt enim potissimæ non quantæ, immateriatæ, etsi non immateriales, ex se indivisibiles, ut formæ substantiales, & ex accidentalibus qualitates, actiones, passiones, relationes, quandoitates, ubicationes, situs, habitus. E. & indivisibilem adessendi modum habere debent, qui definitivus. Ex conditione subjectorum sunt per accidens quantæ, extensæ ad quantitatem subjectorum, divisibiles. Hactenus modo circumscriptivo ubicatæ dici possunt, sed per aliud, per subjecta, in quibus existunt. Conf. Fonsecam 5. Metap. c. 15. q. 9. s. 6. *Accidens tamen illud*, quod quantitas vocatur, *hic excipiendum venit. Hoc enim, quia formaliter est illud, quod extensionem in totum dat, & extensum omne circumscriptivè alicubi esse dicitur, & consequenter quantitatem circumscriptivum ubi habere dici potest. Ob illam enim corporea sunt apta, ut circumscriptivè alicubi esse queant, & extrinseco ambiente terminari, cum illa sit ratio formalis ex parte subjecti, quà illud capax loci externi est, sicq; circumscribi potest. Propter quod autem aliquid tale, illud* magis credibile est esse tale, si prædicatum utrique conveniens sit.

XXVI. 2. Corpus & sanguis Christi in S. Cœnâ quamnam ubietatem obtineat, circumscriptivam, an definitivam? *Præsupponendum hic* 1. Corpus *& sanguinem Christi substantialiter & veritate sui in usu cœnæ adesse.* 2. Non *fide solùm exhiberi à credentibus manducandum, sed & corporis organo, ori, etiam incredulis participandum.* 3. Non *virtutem tantùm, efficaciam, communionem, commemorationem, ἀνάμνησιν, analogiam, repræsentationem spiritualem, relationem, obsignationem, sacramentum corporis vel sanguinis adesse, & exhiberi, sed substantiam & veritatem corporis, corpus & sanguinem ipsum in substantiâ, & quidem ad man-*

ad manducandum & bibendum. Hæc ex alibi assertis hic sunt præassumenda. Præassumptis illis, quæritur, quâ ratione ubicandi corporis & sanguinis *substantia adsint? Quæstio de modo, non rei veritate. Et nec fidei fundamentum quæsitum tangit, nec consensum in eâ dissensus aliquis evertit. Quibusdam* definitivè *ibi esse æstimatur. Vt* Suaretzio d. 51. Metaphys. s. 6. §. 6. Valentiæ T. 4. d. 6. q. 3. pun. 1. §. 21. & q. 4. pun. 1. Alberto par. 2. summ. d. homine. Mendozæ. d. 14. Phys. §. 39. Fonsecæ c. l. Becano pag. 3. Th. sch. tr. 2. c. 17. q. 2. Conimbricensib. in l. Categor. c. 9. q. 2. a. 2. Raconis disp. d. loco. s. 4 q. 1. Luthero ap. Chemnit. in rep. Cœnæ pag 18. Scheiblero intr. Log. c. 13. n. 18. Aliis circumscriptive *ibi esse creditur, sed supernaturaliter, i. e. ita, ut naturam & naturalem potentiam, quâ termino externo circumscribi possit, retineat, adeoq́ naturaliter circumscriptionem habeat, etsi præternaturaliter per dispositionem primi agentis aliquos actus ad alicubi circumscriptivum per naturam requisitos non habeat, ut commensurationem ad spatium, localem positionem partis extra partem, diffusionem, expansionem actualem, &c. Ita ex Nostris idem* Scheiblerus 1. Metaphys. c. 17. §. 60. 64. Aliis nec definitivè, quia *hic modus est hic, ut simul non sit alibi: nec circumscriptivè, quia non per actualem commensurationem quantitatis ad locum, adesse putatur, ut* Thomæ p. 3. q. 76. a. 5. aliisq́;. *Dicendum hic:* 1. Si definitiva & circumscriptiva ubietas naturales & prædicamentales *ubicationes dividunt, neutro modo Christus est in Sacramento. Vsitatè naturales ubicationes dividunt, nam & ex inductione naturalium rerum ubicatarum sumuntur, & naturali lumine indagantur, & in ubi prædicamentali tanquam species divisæ proponuntur, in prædicamentis a naturalia & naturaliter cognita tantùm proponi solent.*

DE ESSE ALICUBI EXERCITATIO SEXTA.

De definitivâ & circumscriptiva Vbietate.

Respond. JOHANNE NEUMANNO.

THESIS XXVII.

S*Vpernaturalia prædicamentis & prædicamentalibus conditionibus non subjiciuntur, nec annumerantur, Vt alibi ostenditur. Christus autem non est naturali ubicatione in Sacramento, sed modo singulari, mystico, supernaturali, ineffabili, Sacramentali & pactionali, qui virtute promittentis & veritate promissionis nititur, non naturâ Vbicationis definitivæ aut circumscriptivæ. Et qui modus nobis* incognitus, *abstrusus, & inexplicabilis est. Modi autem naturales ubietatis definitivæ, circumscriptivæ, & noti, & explicabiles sunt, saltem Philosophis, ut* c. 7. 9. *patuit. Ita nec consequentia ubicationis definitivæ aut circumscriptivæ hic sunt urgenda, quomodo corpus alicubi existens vel rectum, vel pronum, vel stans, sedens, vel supinum, &c. existit. Hæc enim sequuntur corpora alicubi tanquam in loco existentia. Ita autem Christus in Eucharistia non est, sed singulari & Sacramento huic proprio modo. Vnde rectè negant* Valentia c. 1. q. 4. p. 2. & Conimbricenses in 4. Phys. c. 5. q. 1. a. 3. *hoc respectu Christum vel definitivè vel circumscriptivè in Cœnâ adesse dici posse.* 2. Si latiùs & abstractiùs istæ species sumantur, *ut à naturalibus aut præternaturalibus præscindant, & indifferenter ad utrasq; se habeant, prout in ubi prædicamentali, quod aut definitivum, aut circumscriptivum est, præscindi à naturalitate aut præternaturalitate posse quidam putant, velut & in qualitatis doctrinâ indifferenter qualitas definitur ad naturalem &*

præternaturalem, ut & supernaturales complectatur, ut fidem, spem, charitatem, V. Suaretzium c. l. *potest Christus aliquâ ratione definitivo modo in Cœnâ adesse dici, hactenus, quòd non sit ibi cum actuali commensuratione partium ad spatium loci externum, siquidem iste actus per mysterium Eucharistiæ à Christo sublatus est, manente habitudine ad illum, quæ corpori naturalis & inseparabilis est, & alicubi circumscriptivum constituit, ut* f. 4. §. 2. *patebit. Actus autem rerum secundos à rebus salvis substantiis earum, & naturaliter & supernaturaliter tolli posse notum est, Et alibi pluribus deducitur.* V. §. 6. 10. *Quod* Thomas *obvertit, & ex eo repetunt* Valentia ac Conimbricenses c. l. *Definitivum modum poscere ita esse hic, ut non sit alibi, quod de Christo affirmari nequeat, qui simul in multis Cœnis, facilè diluitur. Definitivè ita est hic, ut non alibi, scilicet negativè, non ubiq; non autem positivè, nec in ullo alio ubi. Nam angelus divinâ virtute in multis ubi positus esset definitivè alicubi per naturam, ut tamen & in aliis ubi per supernaturalem potentiam. Ita & corpus Christi in hâc cœnâ definitivè, ut & tamen in aliis ubi, non tamen absolutè ubiq; in infinitum & repletivè, hoc enim solius DEI & ἀκοινώνητον, ut* f. 2. §. 38. *visum.*

XXIIX. 3. Meliùs dicitur, Christum in Cœnâ esse mysticè, supernaturaliter, & Sacramentaliter, *adeoq; abstrusiore modo, quàm qui rationis indagationi subjaceat, qualis est definitivum vel circumscriptivum esse.* Ratio est, *quia tota Cœnæ ratio est mystica, & in modis specialibus nulli hominum explicabilis, ut constat. E. & talis præsentia Christi in eâ. Et sic multas curiositates & speculationes rationis præscindimus, quas ex definitivo aut circumscriptivo esse ratio texere, & curiosè circa mystica discutere solet, ut* ex Scholasticis & Papistis in argumento Eucharistiæ occupatis patet. *Multis eti-*

tis etiam effugiis & Sophisticationibus Adversantium occurrimus, quibus in phrasibus, definitivè & circumscriptivè alicubi esse, oculos præstringere solent. Ita quidem apud Sadeelem in error. Valentiæ §. 59. & Gasp. Laurentius in indice 2. p. 389. ibidem. Si Christus definitivè est in Cœnâ unâ, E. non alibi extra eam. *Sic enim, quod definitivè alicubi est. Vt anima, quamdiu definitivè in corpore, alibi extra corpus non est.* Martin. l. 2. Theol. p. 1168. Qui sic definitivè alicubi esse corpus Christi *(ut nec dimensionem recipiat, nec distantiam in loco faciat,) dicit, is humanum corpus esse negat.* Has illi ex modo definitivo *argutias nectunt. His antè occursum.* V. c. 27. Jam sufficit, dicere, *Christ. mysticè & sacramentaliter adesse in Cœnâ, gratiosè in Ecclesiâ, potenter in universo, judiciosè inter hostes. An definitivè, an circumscriptivè,* non liquet. *Ita & mysterio sua constat sublimitas, & rationi præscinditur curiositas. Desinunt* mysteria esse mystica, si eorum in specialib. modis ratio quæritur aut redditur propria ac perspicua. *Fide credimus, quod ratione non comprehendimus. Si scirem, an definitivè adesset Christus, an circumscriptivè, an per omnia hoc modo, an alio, caperem, non crederem. Nec rationem captivare, sed occupare hîc fas esset. Si comprehendis modum, non est miraculum. Vbi deficit ratio, ibi est fidei ædificatio, benè* Augustinus Sermon. Dominic. in octav. paschæ. *In mysteriis multa sunt ignoranda & admiranda, non scrutanda.* Conf. §. 1. hujus sectionis. *Modestè* Eusebius l. 7. c. 21. Non reprobo, quod non intelligo. Sed tantò magis miror, quantò minus assequor.

XXIX. *Satis* de speciebus & subjectis *ubietatis definitivæ. Quæ cætera hîc moveri de spirituali adessentiâ solent, ut,* an *per naturam angelus in multis locis simùl esse possit?* An *verè sit in loco per se?* An *in assumpto corpore verè in loco sit?*

eo sit? Quomodo *in loco extrinseco dici possit?* An *per absolutam potestatem in pluribus ubi sisti queat citra contradictionem?* An *& in omnibus ubi seu ubiq; per eandem potestatem?* An *per solam præsentiam substantialem alicubi esse possit, an præterea applicatio virtutis activæ & operatio requiratur?* An *ita spiritus sit in puncto, ut in minori spatio esse queat?* An *aliquot myriades angelorum in cuspide aciculæ esse queant?* An *& è loco in locum moveri possint?* An *necessariò habeant ubi intrinsecum & essentiale?* An *necessariò ubi adæquatum & quantum requirant? Et quæ similia sunt,* partim *ex tractatu hactenùs explicationem habent,* partim *ex* ſ 4. § 122. *quædam patebunt,* partim *ad doctrinam* de Angelis *pertinent, quæ vel in Pneumaticâ disciplinâ, vel Metaphysica specialiter proponitur, vel apud Scholasticos, Vt* Thomam, Valentiam, Tannerum, Vasquium, Suaretzium, Malderum, Estium, Becanum in parte 1. *vel Sententiarios in* l. 1 sent. d. 37. *pertractari solet. Hic abscindenda sunt, ne nimis prolixè omnia ventilentur. Nec nobis universa de Angelis, eorumvè ubicatione complectendi jam sedit animus. Satis est, quædam ubietatis definitivæ naturam attinentia delineasse. Iam alia adhuc argumento huic specialiùs convenientia pertractanda restant.*

XXX. *Visa est* definitio & divisio ubietatis definitivæ: Videndæ sunt habitudines & competentiæ quædam *ei convenientes.* 1. Ubietas definitiva est per simplicem adessentiam, non expansionem, diffusionem, extensionem, *inclusionem aut coarctationem, vel quantitativam spatij occupationem, circumscriptionem, continentiam, &c. sed simplicem substantiæ ad hoc vel illud spatium designationem. Quantitas hic molis & materiæ deest, spiritualia n. ea carent, à quâ Naturaliter resultat expandi, diffundi, occupari, circumscribi, nisi*

bi, nisi supernaturaliter & miraculoso modo inhibeatur, ut s. 4. §. 24. *patebit. Interdum spiritus occupare spatia sua dicuntur: Sed tùm occupare est idem ac* assignare sibi, tenere, possidere, *usui adducere, obtinere. Quomodo Latini consilium occupare, optimam familiam, hostium vires, agros, tempus occasionẽ &c. obtinere & occupare, usu aliquid occupare, pro arripere & sibi vindicare, obtinere, aut usui suo adducere dicunt.* Sic cibus, quem occupant, satiat. Curt. l. 3. c. 2. i. e. *arripiunt. Ita spiritus spatia sua occupant, i. e. adducunt & assignant sibi, obtinent, non per intervalla eorum materialiter se diffundant.* 2. Ubietas definitiva ex naturâ sui ad spatium unum est determinata, *& naturaliter spiritus finitus simùl non nisi unum spatium designare potest: Ex supernaturali virtute & actu ad plura ubi simùl determinari potest. Nam in corporeâ substantia per DEi potestatem id fieri potest, cum nullam realem contradictionem involvat, ut* s. 4. §. 69. *patebit. Ergò magis credibile est in spirituali substantiâ id fieri posse. Plus enim in corporeâ obstat, quàm spirituali.* Conf. c. l. §. 119. *Et* §. 9. 10. *hujus sectionis.*

XXXI. 3. Ubietas definitiva spirituali substantiæ est essentialis & inseparabilis, *est enim modus aliquis transcendentalis, essentia intimè inclusus: de facto hic vel ibi, aut ullo in spatio reali ubicari separari potest. Liberè enim spiritus hic vel ibi se sistere potest: & à DEo extra ullum spatium reale sisti potest. Vt si angelum creet extra mundum in vacuo, ibiq; conservet, extra spatium reale ubicabitur, cum extra mundum spatium reale nullum detur. Vbietas enim hæc adhuc transcendentale quid est. Transcendentalia autem non præcisè terminum realem semper requirunt, quem respiciant.* V. s. 1. c. 29. *Ita ubicationem in uno spatio DEus ab angelo separare potest, & in multis ubi simul ponere, salvâ angeli essentiâ &*

 essen-

essentiali ubietate, quæ ad unum spatium quidem respicit, quò minùs tamen de facto semper occupet, supernaturali agente impediri potest. V. §. 9. 10. 4. Ubietas definitiva est sine situ. *Hic enim est ordo ex positione partium corporis in ubi resultans. Partes autem corporis earumq́; positio in spiritibus non est.* V. §. 19. 5. Est sublimior ubietate circumscriptivâ & ratione subjecti, *quia spiritus præstantior corpore, &* ratione formalis sui, *quia abstractior, purior, simplicior, completior ac totalior, & divinæ ubietati propior, est enim tota simùl, non per partes, citra spatij occupationem, extensionem subjecti aut circumscriptionem, ut corporeorum ubietas: Citra impedimentum, difficultatem, cum maximâ mutandi ubi celeritate conjuncta, ut in momento ubi sua mutare possint spiritualia. Secùs hæc omnia in corporalibus, ubi propter molem corpoream & situs in ubi est, & circumscriptio quantitativa ad ubi, & variatio lenta ac difficilis, obstante materiâ & celeritatem aggravante, nisi ingens gloriositas corpori inferatur, ut in gloriosis corporibus futurum.*

XXXII. *Ita & competentiæ ubietatis definitivæ visæ, adeoq́;* absolutè *ea spectata:* Comparatè spectanda *restat partim* quà convenientiam, *partim* quà discrepantiam. Quà convenientiam *respectu ubietatis transcendentalis in genere, sub quo hæc species aliqua est, divinæ, & ubi prædicamentalis. Vt illa modi aut entis, aut infiniti, aut finiti tantùm sunt; perfectionem & habitudinem aliquam de subjectis suis dicentes: Sic hæc entis spiritualis, ut talis, eoq́; posita & hæc necessariò ponitur, nec separari ab eâ potest.* V. §. 31. *Et ut ubi prædicamentale modus rei finitæ intrinsecus est; ex naturâ rei ab eâ diversus: Sic hæc rei spiritualis formaliter ab eâ diversus. Vt illud aliquod concreatum cum subjectis est: Sic hæc concreata spiritualibus substantijs. Vt illud ens creatum præsens suo spatio esse dicit: Sic hæc substantiam spiritualem.*

XXXIII. Quà discrepantiam *ab iisdem & ubietate circumscriptivâ variè differt alicubi definitivum.* A transcendentali, *quòd illud indeterminatum in se adhuc est, & abstractum à quavis specie subjectâ: hoc determinatum ad certam speciem, terminabilem & definitivam ubietatem. Illud ens ut ens in genere sequitur, tanquam comes necessarius: hoc ens ut tale & tale, finitum & spirituale est.* A divinâ differt, *quòd ut illa entis infiniti in spatiis infinitis ex naturâ sui adessentia est: Sic hæc entis finiti & in spatio determinato. Ut illa nec terminos habet, nec aut naturâ sui, aut ullâ potestate habere potest: Sic hæc à contrario & terminos adessendi habet & per naturam suam habere debet. Ut illa omnipræsentiam apud omnia creata, quando illa existunt, infert, nec quamdiu hæc sunt, desistere potest, quia in immensitate essentiæ divinæ fundata: Sic hæc præsentiam definitam apud res infert, & ad unum determinatam per naturam sui, non plura simùl, quia entis finiti, & in finitudine ejus fundata.* Ab ubi prædicamentali *in tantum ubi definitum differre volunt nonnulli, ut prorsùs negent spiritibus &* angelis ubi prædicamentale convenire. *Ut* Thomas, Cajetanus, Hervæus, Capreolus, Ferrariensis ap. Suaretz d. 51. Metaphys. s. 3. n. 3. *Quos sequitur* Bellovisius tr. 2. termin. c. 198. *Quòd ubi prædicamentale requirat quantitatem, extensionem, situm & distantiam, quorum nihil sit in spiritibus. Sed his rationibus parum concludi, & maximam partem principium petere benè ostendit* Suaretz. c. l. & Scheibl. 2. Metaph. c. 13. n. 6. & intr. Log. c. 13. n. 13. *De distantiâ inter spiritus suprà* §. 19. *aliquid dictum. Et omninò ea per accidens ad rationem ubi prædicamentalis est. Nam si unum corpus solitarium sit, distantiam non habebit, quia inter duo hæc: Ubi tamen suum habebit, quia adessentiam in spatio suo circumscriptivam habebit.*

Ubi

Vbi autem prædicamentale spiritibus tribui posse ostendit motus eorum localis, quo ab uno ad aliud moventur, Vt angelus Româ Hierosolymã, & motus, quo è cælo in terram descendunt; Finita item ipsorum Natura, & compositio prædicamentalis ex genere & differentiâ, subjecto & accidente, ut in Loco de Angelis plurib. dici solet.

XXXIV. *Suprà* §. 5. *dictum, ubietatem terminabilem non esse ipsum ubi prædicamentale, sed rationem quandam transcendentalem participare: posse tamen ad illud in inferioribus suis aliquo modo revocari, quomodo & alia transcendentia ita accommodari soleant. Ad similem rationem de Vbietate definitivâ & ubi prædicamentali habendum. Vbietas definitiva magis potentiale quid, modum essentialem, & habitudinẽ intrinsecam dicit.* V. t. 9. 10. *Vbi prædicamentale magis* actuale quid, *modum accidentalem, & præsentiam externam in spatio reali dicit. Vbietas magis posse adesse dicit: Vbi prædicamentale magis ipsum adesse.* V. §. 5. *Illa terminabilitatem ad spatium determinatum, hoc terminationem importat. Illa attributum velut essentiale spiritui creato, non realiter à naturâ ejus diversum dicit: hoc accidens prædicamentale realiter cum substantiâ compositum, & ab eâ diversum. Vbietas definita non tollitur à spiritu, quando in multis Vbi simùl sistitur per potestatem absolutam, etsi actu determinatus adessendi modus tollatur, & sic ubi prædicamentale auferatur, quòd adessentiam in spatio uno tantùm dicit, quæ in spiritu ita ubicato ampliùs non obtineret. Vbietas definitiva ordinem adessendi impartibiliter tantùm dicit, & sic modum quendam spiritualibus substantÿs tantùm competentem insinuat: Vbi prædicamentale præsentiam & spiritualium & corporalium simùl comprehendit. Hactenùs utriq; convenit, quòd modus aliquis sit, essentiam finitam ad spatium determinans, s. formaliter*

præsens

præsens hic aut ibi eam facere debens, quæ in se absolutè ab hic & nunc abstracta spectatur. In eo diversitas, quòd ubietas *definitiva, ut hic spectatur, magis intrinsecam habitudinem ad spatium finitum & habilitatem adessendi in spatio determinato & uno, naturaliter spiritui competentem, & realiter subjecto, in quo est, identificatam, notet, magis extraprædicamentale quid spectet, tanquam species subjecta modo alicui transcendentali, ubietati, quam talem esse* f. 1. *ostensum; adeoq́ nec compositionẽ prædicamentalem, nec realem diversitatem à subjecto importet:* Ubi prædicamentale *magis ubicari & actum adessendi s. ipsam adessentiam, &, ut quidam vocant, præsentiam hic aut illic notet, effectum aliquod à priori naturaliter resultans, nisi mirabiliter impediatur: modus quidam prædicamentalis sit, vera species accidentis prædicamentalis, adeoq́ cum subjecto suo & compositionem prædicamentalem, & realem diversitatem importet.*

XXXV. Ab ubietate circumscriptivâ *differt definitiva partim subjectivè, quia materialium & quantorum ex naturâ sui illa, hæc spiritualium; ut angelorum, animæ rationalis, facultatum & habituum ejus, ut artis, scientiæ, virtutis: Partim* Formaliter, *idq́ vel ratione modi proprij, vel prærogativa. Ratione* modi *definitiva est impartibilis & sine spatij occupatione: Circumscriptiva partibilis & cum spatij occupatione. Ratione* prærogativæ *definitiva est sublimior ubietatis modus, quàm circumscriptiva, ut* § 31. *ostensum. Hæc de* Ubietate definitivâ, *alterâ ubietatis terminabilis specie, disputata sint.* De Ubi prædicamentali *ob analogiam materiæ hic disceptari possit. Et præcipuè de eo inquirendum veniret,* In quonam *præcisè ratio τȣ ubi prædicamentalis esset?* An absolutum *quid, ut albedo, nigredo, quod contendit* Arriaga, *an respectivum, ut duratio, quod communiter sentitur? Hâc de re*

ſ.1. §.35.36. *aliquid dictum.* An *locus ſit, an denominatio extrinſeca à loco ſumpta?* An *intrinſecum quid in locato ex circumſcriptione loci paſſivè relictum?* An *ſpatium corpore repletum, an modus aliquis internus rem alicubi eſſe faciens & dicens?* An *negationem diſtantiæ ſubjecti à loco vel interjicibilitatis alius corporis cum ſubjecto & loco dicat?* An *realiter à ſubjecto diſtinguatur, & loco reali ac imaginario, in quo aliquid ubicatum dicitur?* Unde *ſpecificentur ubicationes?* An *ſufficienter in definitivum & circumſcriptivum dividantur?* An *prædicamentalis & angelis competat? De hoc* §.33. *actum.* An *& DEO? De hoc* ſ.2. §.39. 40. *monitum.* An *corpus definitivè, ſpiritus circumſcriptivè ubicari poſſit. De hoc aliquid* ex §.26.27.28. *conſtabit.* An *quodlibet indiviſibile ubicationis ſit circumſcriptivum?* An *creatura ſine omni ubicatione à DEO ſtatui & ſervari poſſit?* An *in pluribus ſpatiis ſimùl ubicari poſſit? Hæc & ſimilia, quæ de ubi prædicamentali duquiri ſolent*, ap. Suaretzium d. 51. Metaph. Scheibl. 1. Metaph. c. 17. &. l. 2. c. 13. ut & in introd. Logicâ. c. 13. Arriagam d. 14. Phyſ. Mendozam d. 14. Phyſ. Conimbricenſ. in c. 9. Log. q. 2. *alioq́ vide. Hic ex profeſſo propoſitum non eſt, ubi prædicamentalis naturam ejusq́ quæſita diſcutere: Sed ubietatis tranſcendentalis indolem, quatenùs generaliſſimis ſpeciebus conſtringitur, interminabili & terminabili, & hac vel deſignativá vel circumſcriptivá, explicatam dare. Cætera ſpecialem* in Logicis aut Metaphyſicis *explicationem ſortiuntur. Nobis multa adhuc ex profeſſo tractanda ſuperſunt.*

XXXVI. *Ita* ubietas definitiva *viſa, &* ubietas terminabilis in genere abſolutè ſpectata. Comparatè *eadem ratione ubietatis tranſcendentalis, interminabilis, & ubi prædicamentalis ſpectanda reſtet. Convenientia ejus cum his & diſcrepan-*

ſcrepan-

screpantia ex §.32.33. *satis innotescat.* Ab ubi prædicamentali, *differt, quòd ubietas terminata magis habitudinem modum, & ordinem transcendentalem in spatio essendi in re finitâ inferat, ubi prædicamentale ipsum ubicari accidentale, & accidens prædicamentale ex naturâ rei à subjecto suo diversum in substantiâ prædicamentali. Illa ordinem ad spatium indifferenter dicat, s. reale illud sit, sive imaginarium: Hoc magis reale respicere videatur. Prædicamentalia enim res & realia respiciunt, non imaginaria.* V. s.1. §. 29. *Illa ab ente finito inseparabilis sit, etiam divinitùs, ut modus aliquis transcendentalis, ens finitum, ut sic, necessariò consequens, & realiter ab eo non diversus: Hæc divinitùs separari possit, ut accidens prædicamentale, ex naturâ rei à substantiâ diversum, & compositionem prædicamentalem cum illâ impertans.* V. s.1. § 53. *Illa ubi prædicamentale non habet, quia modus transcendentalis simplicissimus est; quibus prædicamentalia accidentia attribui non possunt: Sed ubi prædicamentale ubietatem terminabilem, ut Ens modum suum intrinsecum, habet.* V. s. 1. c. l. Hæc *etiam* de Esse alicubi terminabili, & in specie de definitivo ac spirituali *dicta sufficiant.*

SECTIO QVARTA & Vltima.

De esse alicubi circumscriptivo.

NOn in Cretam navigandum nobis esse, si Labyrinthi visendi desiderio afficiamur, jure censet subtilitati literarum sine æmulo genitus *Scaliger ex. 178. s. 2. *Cum in rerum scientiys plùs quàm Dædaleum*

leum reperire liceat. Experti hactenùs, quantâ charybdi laborandum in esse alicubi divino, angelico, ac spiritualibus competente, ex vero eruendo fuerit. Ac in his elaborandis commeditandisq; qui aliquid operæ collocare velit, rarus omninò existat. Vt hæc loca sunt, ingens etiam obtrectatorum, Cavillantium, & sycophantarum, in deterius cuncta rapientium, numerus præstò sit. Ad vana pleriq; divertunt: utilium & solidorum ignari, aut incuriosi. Paucis in melius constituta mens fuerit, & hæc nostra nobiscum inquirere, explicare, asserere, suum esse ducent. Nos, quod cœpimus, bono cum DEO pertexamus, ulteriusque τας ἐν ἅδȣ τριακάδας, tricesimas in Orco, i.e. res involutas & tricis plenas extricemus. Ita σμικρὸν ἐπὶ σμικρὸν καταθέμενοι juxta præceptum Hesiodi, paulatim totum opus absolvemus. At si dissensus aliquis hic intercurrerit, ut homines & Christiani ab hominib. & Christianis dissentiemus, non ut lupi â lupis.

II. Vbietas terminabilis definitiva, quæ spirituum, explicata fuit. Restat circumscriptiva, quæ corporeorum. Dicitur & esse alicubi circumscriptivum, locale, materiale; Alicubitas circumscriptiva, localis, materialis, quantitativa, localitas, locatio, ubicatio circumscriptiva, &c. Sed circa vocem observandum, ambiguè dici, circumscriptivè alicubi esse. Interdum sumitur generaliter pro omni eo, quòd limitatè & terminativè alicubi est. Ita & definitivè alicubi esse comprehendit. Sic Damascenus l. 2. d. orth. fid. c. 3. angelos circumscriptos vocat, nam cum sunt in cælo, in terrâ non sunt, & in terram à DEo missi non remanent in cælo. Quia determinatis spatiis per naturam sui definiantur. Interdum specialiter pro modo alicubi essendi ab ubiquitate & ubietate definitivâ distincto, quo aliquid ab extrinseco continente seu ambiente circumscribi potest, sicq; alicubi est, ut in loco & termi-

termino continente sit, vel esse per naturam sui possit. Hoc modo adhuc dupliciter *sumitur.* 1. Pro circumscriptione *actuali alicujus corporis externi continentis, quæ & commensuratio rei præsentis ad Vbi dicitur. Hæc non semper & adæquatè hic intelligi potest, importat enim coëxistentiam alterius corporis ambientis & externè continentis, quod abesse potest. Præter coëxistentiam enim alterius cujusdam res simpliciter dicitur alicubi circumscriptivè, cum spatium particulariter occupat, ut continente termino circumscribi possit, etiamsi nullum, quod actu circumscribat, adsit. Sic si Deus in conclavi aërem conclusum tollat, & corpus eò collocet, erit alicubi circumscriptivè, pro naturâ corporis & quantæ rei, quæ circumscriptivè alicubi esse ex naturâ sui postulat, etiamsi nullo corpore proximè ambiente, quod locus propriè est, quod hic remotum ponitur, actu circumscribatur. Et alicubi esse tanquam transcendens quid, cum subjectu sibi speciebus ab omni externo, quod facto esse oporteat, abstractum esset debet, cum intimus essendi modus ens consequens sit, Etiamsi nullum externum coëxistat, ut* f.1. §.32 *dictum. Inter illas species autem est & esse alicubi circumscriptivum, quod similiter ut modus aliqvis Metaphysicus non differt realiter ab essentiâ finitâ circumscriptibili, & ab eadem est inseparabile, quod de circumscriptione externa rei ambientis dici non potest, quæ omninò abesse potest, realiter à re distincta est, & vulgò locum impartare dicitur.* V. §. 6. 7. 18. seq. 2. Pro circumscriptione aptitudinali *& potentiali, quæ & commensurabilitas rei ad externum ambiens dicitur, & circumscribilitas vel circumscriptivitas dici possit. Vnde circumscriptivè alicubi esse corpus dicitur, non præcisè circumscriptè. Hæc hic intelligitur, & in eo consistit, ut res quanta ac materialis partes extra partes habens in spatio externo determinato ac ambiente per com-*

mensurationem partium esse posſit, & pro naturâ ſui poſtulet, niſi impediatur. Attributa enim rerum *tàm tranſcendentalia, quàm prædicamentalia, de potentiâ & internâ rei habitudine ſunt intelligenda, non actu, inter quæ & alicubi eſſe cum ſuis ſpeciebus eſt. Habitudo enim magis intrinſeca eſt rei: & attributa inſeparabilia ſunt à ſuis ſubjectis, cum actus rerum & per naturam & ſupra naturam ſeparari poſſint.* V. ſ. 3. §. 27. *Ita in naturalibus definitiones de potentiâ intelligere cogimur,* V. c. l. §. 6. *Hæc enim magis* interna *rei eſt, quàm actus ſecundùm eam. Quòd autem vocabula actuum frequentiùs adhibeantur, eſt, quòd actus ſint notiores & expreſſiores potentiis, tanquam magis externi. Definitio autem per notiora fieri debet, per* 6. Topic. c. 4. *Similiter in alicubitate circumſcriptivâ procedendum, ut ex definitione poſtea patebit. Unde &* circumſcriptiva *magis dicitur, voce potentiam notante, non circumſcripta, voce actum magis exprimente. Circumſcriptivum eſt, quod circumſcribi poteſt, & vult, non præcisè, quod circumſcriptum eſt.*

III. *Voce alicubi circumſcriptivi diſcuſſâ eſſe ejus* abſolutè & reſpectivè *perluſtrandum.* Abſolutè *in definitione, diviſione, & affectionibus.* Reſpectivè *in convenientiâ & diſcrepantiâ cum aliis.*

IV. Definitio *ſit:* Alicubitas circumſcriptiva eſt ubietas, quâ ens finitum & materiale partibiliter in ſpatio circumſcriptivo eſt, ut totum in toto, & pars in parte ſpatii occupativè per naturam ſui eſſe poſtulet.

V. *Dicitur* ubietas, *i. e. modus entis actualis eſſentialis, quo adeſſentia ejus in ſpatio vel ubi notatur. In hoc enim eſſe ubietatis conſiſtere* ſ. 1. §. 9. *traditum. Quâ* ens finitum *eſt in ſpatio, ut contradiſtinguatur ubiquetati, quæ entis infiniti, ut DEi.* Et materiale, *i. e. quod quantum eſt, & partes ex-*

tra partes habet, ut contradistinguatur ubietati definitivæ, *quæ angelorum & spirituum, qui etsi finiti, quanti tamen non sunt; & partes extra partes non habent.* Partibiliter, *ut ad commensurationem partium sit in spatio. Totum in toto spatio, pars in parte illius, & ratione* essentiæ, *quà pars extra partem essentialiter & quidditativè est, ut una non sit altera: & ratione* præsentiæ, *quà tale materiale* per naturam sui *ita spatio præsens esse postulat, ut pars una partem præsentiæ in spatio hanc occupare, pars altera alteram velit, nec totum simùl in qualibet spatij parte esse queat. Vndè ultimò dicitur,* tale quantum occupativè in spatio per naturam sui esse postulare, *i.e. tale est, ut possit & debeat singulas spatij partes mole & quantitate suâ particulatìm occupare, ut quamdiu in eo illud sit, aliud simùl in illo existere non possit, nec penetrationem quantitatis suæ per naturam admittat. Ita manus, quando est in aëre, tota totum spatium aëris occupat, & quævis pars quamvis sibi convenientem aëris partem, & quamdiu ibi est, simùl in illo spatio aliud corpus esse non permittit, nec alio corpore se penetrari concedit. In spatio circumscriptivo dicitur esse, quia hic non spatium in genere attenditur, ut in ubietate generali, sed specie, quod ubietati circumscriptivæ commodum est. De eâ enim hic agitur. Circumscriptivum autem esse tale etiam spatium postulat, quo aliquid ita conformatum sit, ut per naturam sui spatio isto circumscribi velit, possit, & postulet. Circumscriptivum enim alicubi in loco esse infert. Locus autem terminus corporis ab extra circumscribens est, ut* §. 57. *videbitur, non vel in ipso corpore contentum quid, vel intra illam termini circumscriptionem conclusum, ut alij volunt. Tale ergò & spatium hîc intelligendum.*

VI. *Dicitur materiale* occupativè per naturã sui in spatio esse postulare, *quo naturalis habitudo corporis quanti notatur*

tatur, quâ aptum natum est ita esse in spatio circumscribente, ut particulariter illud occupare possit. De actuali spatiï circumscribentis occupatione intelligi hoc non debet, cum hæc à corpore interdum abesse possit, manente ejus essentiâ, & ex eâ profluente essentiale ad occupandum spatium aptitudine & potentiâ, quæ corpori est essentialis, adeoq; ab eo inseparabilis. Actum autem occupandi spatium *circumscribens in seu loco esse à corpore abesse posse* variis exemplis *doceri potest.* 1. Chaos seu corpus primum *primo creationis die conditum, & in sacris nomine cæli & terræ intellectum*, Gen. 1 v. 1. 2. *verum corpus fuit, dimensionibus suis quantitatis, in longum, latum, & profundum, præditum. Non tamen fuit actu in spatio circumscribente, i. e. loco, Nullum enim circumscribens extra illud fuit, nulla enim creatura præter illud fuit, cum omnia creata, & quæcunq; postea à DEO producta aut comproducta sunt, in hoc corpore velut seminario & matrice quâdam suâ latuerint, donec virtute DEI distinctè producta fuerunt.* Si enim præter hoc locus fuisset, *vel is substantia vel accidens fuisset. Et* vel *ante illud, sic non cælum & terra, sed locus ejus primò fuisset conditus:* vel *post illud. E. aliquando saltem Chaos sine loco fuit, & sic de necessitate corporis non est, simpliciter in loco esse:* vel *unà cum illo creatus fuit. Sic* vel *inhæsit in ipso Chao, sic non fuit verus locus, hic enim circumstat corpus & adhæret, non inhæret. Nec Chaos in loco, sed locus in chao fuisset:* vel *adhæsit. At sic probandum ex* Genesi *erit, præter chaos & accidens externum adhærens & circumscribens creatum fuisse. Cujus in textu Mosaico nulla est mentio. E. actu circumscribi de ratione & essentiâ corporis non est.*

VII. Varia *sunt, quæ ad hoc exemplum excipi possunt.* 1. Quidam *in totum negant Chaos, quòd perfectioni ac distinctioni & omnipotentiæ DEI repugnet, qui omnia numero, pondere, &*

mensu-

mensurâ creârit, Sap. 11. v. 22. *& in* v. 1. Gen. *emphaticè hoc cœlum & hæc terra dicatur, ut distincta intelligantur, prout nunc sunt, non in chao confusa. Ita* Keckerm. l. 7. Phys. c. 1. l. 1. syst. Theol. c. 6. can. 4. & d. 20. curs. Philos. q. 5. Pareus in Gen. c. 1. v. 1. Scharpius Curs. Theol. d. creat. q. 2 p 175. 176. *Hi de loco chaeos non esse sollicitos nos debere dicent. Communis tamen sententia est, rudem indigestamq́ molem cœlo & terrâ commistis constantem, primâ die creatam, quæ postea per successus elaborata, & ornatu novaq́ perfectione producta fuerit. Ita* Patrum *multi, ut* Basilius, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Damascenus, Beda, Augustinus, aliiq; *apud* Tannerum p. 1. Th. Sch. d. 6. q. 2. dub. 2. *Scholasticorum pleriq́, & ex ipsis* Reformatis Alstedius p. 8. Phys. c. 1. §. 4. n. 2. & l. 3. Th. Schol. c. 2. §. 8. c. 4. §. 2. *ut & in* quæ: Theol. c. 14. q. 13. & regul. Theol. loc. 15. §. 3. Timplerus Phys. gen. c. 1. q. 9. & l. 1. Apsych. c. 2. q. 12. & l. 5. Metaph. c. 4. q. 21. Lud. Crocius l. 3. syst. Theol. c. 24. §. 6. 8. 16. Wollebius l. 1. Th. Chr. c. 5. §. 8. Sohnius T. 1. Oper. p. 114. par 2. & par. 1. p. 117. Amesius l. 1. medull. c. 8. §. 45. Martyr. clas. 1. L. C. loc. 12. §. 12. *multiq́ alij. Expressè extat* Sap. 11. v. 18. *DEus mundum condidit ex informi materiâ. Ac sive ipsa sententia vera & scripturæ analoga sit, sive minùs, de quo hic ex professo disceptare non locus est, nostro scopo sufficiens est, primum corpus primo die conditum appellare, quod sivè cœlum & terram distincta vocare velis, sive chaos ac massam informem, cœlum & terram imperfectè inelaborateq́ continentem, ad hoc, quod jam probandum destinavimus, indifferens est. Satis hic, ostenduse, primum corpus à DEO in principio creationis creatum in spatio circumscribente seu loco ambiente actu non fuiuse, & consequenter de essentiâ corporis non esse, actu loco circumscribi, sed circumscripti-*

vum & circumscriptibile esse, quod est alicubi circumscriptivè esse, & essentialem corporis ac quanti habitudinem consequentem dicit. 2. Alij excipient, *Fuisse in spatio & loco interno, h.e. distinctâ partium suarum extra partes situatione, etsi non in continente externo. R. Locus internus locus æquivocè dictus est, non verus, quicquid* Recentiores *quidam contendant, de quo ampliùs* §. 44.45. *agetur.*

IIX. 3. Alij regerent, *Locum esse spatium intra superficiem ambientem contentum, non ab eâ demum effectum. In tali spatio fuisse chaos, tanto, quantum moles ejus requisiverit, & sic in loco. Ita* Stenius l.1. Gret. trium. c.5. Altingus not. ad D. Behm. d. cœlo, q. 8. *R. Tale spatium intra superficiem contentum merum nihil & ens cogitatum tantùm est, adeoq́ verus locus non est, qui reale Physicum est. Vid.* §. 50.59. *Alicubi esse fortè facere possit: in loco esse non poterit.* V.c.l. 4. Alij *fuisse in spatio inani à DEO collocatum dicent, & hoc ipsi fuisse pro loco. Ita* Alstedius p.3. Th. Schol. c.3. §.4. *R. Spatium inane locus non est, sed ubi aliquod generaliter dictum, quod & in vacuo esse potest. Locus verum ens Physicum est, cum inane entis carentia sit, ut* 4. Phys. c. 7. 8. *testatur* Aristoteles. *Vbi suum habuisse chaos illud largimur: hoc enim & in vacuo esse potest, ut extra supremum corpus mundi, unde alicubi esse ad spatium etiam imaginarium respicit, ut* s. 1. §. 22. seq. *dictum. Sed ubi circumscriptum de facto habuisse, adeoq́ in vero loco fuisse negamus. Vbi enim circumscriptivum si de facto sit, terminum circumscribentem realem requirit, sine quo nulla vera circumscriptio, & sine hac nulla vera locatio fuerit.* 5. Alij *in DEO velut loco fuisse dicent, & DEum vicem loci in eo habuisse. Ita* Timplerus *ex suis hypothesibus, qui DEum mundi locum esse, eumq́ immediate totum mundi ædificium instar loci continere & conservare disputat*

nat c. 3. Phyſ. gen. q. 8. *R. Hic verè illud* Ciceronis *locum habeat* 2. d. divinat. c. 119. Neſcio, quomodo nihil tàm abſurdè dicatur, quod non dicatur ab aliquo Philoſophorum. *Nihil abſurdius tali effato proferri potuit. Authorem tamen habet* Timplerum. *Qui, ut in cæteris ferè inaccuratus eſt: Ita & hic, ſi ſibi conſtet, mirum non ſit. Si DEus mundi locus, E. erit circumferentia mundum ambiens. Aliud enim locus non eſt, ut* §. 59. *patebit. At hoc infinitati, ſimplicitati, immaterialitati, ac felicitati divinæ prorsùs repugnat. Locus eſt æqualis locato. E. & DEus mundo. Locus ſeparabilis à locato eſt. E. & DEus à mundo. Quis ipſum ſepararet, qui infinitus & ubiq; intimè rebus præſens eſt? DEus & mundum, & ſingulas ejus partes conſervat. Sic omnium rerum in mundo unus erit locus, DEus. Et partes mundi in duobus locis erunt, DEO, & termino ſuo ambiente, quo circumſcribuntur, qui verus eorum locus, Quod ingens in Scholâ* Timpleri & Reformatorum *abſurdum. Sunt omnia in DEO, ut primo motore & conſervatore omnium.* Act. 17. Ariſt. 8. Phyſ. t. 21. ſeq. *Sed non ut in loco continente. Hic externè continet: Sed DEus intimè mundum omniaq; in eo continet, omnibusq; intimè præſens eſt. Rectè* Alſtedius p. 4. Phyſ. c. 4. §. 8. *errorem corrigit.* Quòd nonnulli docent, *inquit,* DEum *eſſe locum mundi, populariter dicitur. DEus enim mundum continet, ut cauſa efficiens, non ut ſubjectum locans.* Auguſtinus *quidem* in Pſalm. 30. Serm. 5. *DEum, qui nos tuetur in loco vitæ hujus, ipſum poſt hanc vitam locum noſtrum eſſe ait. Sed id non humano modo, ſed cæleſti explicandum. Non quòd in eo ut continente ſtabimus, aut movebimur: Sed quòd* ut in patre *perpetuò gaviſuri ſimus. Quomodo beatorum animæ in manu DEI eſſe dicuntur,* Sap. 3. *non ut loco, ſed omnigenâ ſecuritate.* 6. Alij in loco *ſuſtinente & baſi ſuâ fuiſſe dicent,*

quæ locus sit, non terminus ambiens. Ex hypothesibus Keckermanni, *de quo* §. 52. *videbitur. R. Nec locus basis est, ut ibi ostendam: Nec si esset, in tali loco Chaos fuisset. Militabunt n. hic eadem argumenta, quæ contra terminum cirumscribentem* §. 6. *allata sunt. Nec dici aliquid potest, quod chao pro basi fuisset.*

IX. 2. Mundus seu universum *non est actu in loco. Extra illud enim nihil creati vel concreati, quod ut terminus ambiens circumscribere illud possit. Vniversum n. & τὸ πᾶν inde dictum, quòd universa creata ambitu suo complectatur, ut creatorum quidquam extra illud non reperiatur. Sed mundus est verum corpus & quantum quid, ex omnium creatorum aggregatione exsurgens. Non ergò omne corpus actu in loco est. Exceptiones, quæ circa hoc adferri possunt, omnes ex* §. 7. 8. *constant, & iisdem responsionibus infringendæ.* 3. Si DEus *corpus aliquod extra mundum in spatiis vacuis & imaginariis creet & conservet, quod ipsi factu non impossibile, verum illud corpus futurum est, in loco tamen actu non erit, quia in nullo termino ambiente erit. Vacuum enim nihil continet, quo ambiri aliquid possit. Et in vacuo esse etsi alicubi esse inferat, circumscriptum tamen de facto aliquo termino externo esse nondum infert, quod ad locum omninò requiritur.* 4. Si DEus corpus *in spatio inter cœlum & terram servet, & interjectum aërem aut aliud annihilet, quod similiter non impossibile, corpus illud verum corpus erit, sed actu in loco non erit, quia vacuum spatium esse præsupponitur, in quo nullus terminus circumscribens esse potest, Et consequenter locari in eo aliquid non potest, etsi ubicari possit.*

X. *Dices* I. In vacuo *vel pleno locari ad locum perinde est. Potest terminus circumscribens in vacuo cogitari, qui locus corporis sit, & sic omnino corpus erit in loco, utut in*

vacuo,

vacuo. R. *Locus verus debet* ens reale positivum, *ac Physicum quid esse, non cogitatum tantùm. Localitas enim inter ea, quæ in Physicis inter affectiones corporis in parte primâ recensentur, est, quæ esse in loco posse respicit. Illa autem realia sunt, & terminos reales respiciunt, quippe Physicalia. Et sit terminus in vacuo ut circumscribens cogitatus verus locus nondum est, sed oportet actu & realiter corpus suum circumscribat, si verus ejus locus esse debeat. Physica enim realia esse debent, non ficta.* 2. Situs corporis *in vacuo esse potest, ut stare, sedere, jacere corpus in vacuo potest. E. & locus, par enim utriusq; ratio.* R. Dispar utriusq; ratio. *Situs est accidens dispositionem partium materialium in ubi dicens, non præcisè in loco. Vbi autem & in vacuo esse potest. Transcendenter n. sumptum ad spatium reale & rationis indifferens est.* f. 1. §. 29. f. 3. §. 36. *Locus non, quia physicum quid quod reale esse tenetur. Et ubi longè latius loco. Quidquid in loco & in ubi est, sed non vicissim. In ubi sunt angeli, non in loco, si propriè & Philosophicè loquaris, nec licentiâ vocabulorum & patientiâ eruditorum abutaris. Sæpè usus invicem confundit, ut* §. 40. *notabitur. Prudentum tamen est, distincta distinctius enuntiare vocabulis, si suppetant. Ad hoc enim hæc sunt inventa.* V. §. 41. 42. *In vacuo sedere aut stare aliquis dici potest secundùm internam partium corporis dispositionem: non secundùm corpus extrinsecum sustentans vel ambiens.* V. Suarez c. l. n. 11.

XI Exemplum supremi cœli *famosè & tritissimè hic in instantiam arripitur, quâ corpus aliquod unum non actu in loco esse commonstretur. Authores tot è nostris sunt, ut vanum sit loca allegare. Quisquis in hoc argumento per commentandum se occupavit, exemplo supremi cœli sine loco existentis instantiam non facilè prætermisit. Sed mirari tamen licet,*

 nulli

nulli hypotheses Nostratium occurrisse, quæ si veri locum obtinere debeant, instantia supremi cœli facilè resignandum fuerit. Suprà supremum cœlum aquas esse repositas, ex Psal.104. v. 3. Psal. 148. v. 4. Dan. 3. v. 60. *vulgò contendimus.* V. D. Meisneru. p.1. P.S. s.3. q.3. *Et assensum ex* Reformatis *invenit hæc hypothesis in* Sohnio T. 1. Op. parte 1. p. 118. & parte 2. p. 114. Junio præl. in c. 1. Gen. v. 1. Tom. 1. Oper. p. 2. 4. & Schönfeldio apud Alstedium in Syn. Theol. loc.16. n.10. *Nec multum dissentiunt* Scharpius T. 1. Curs. Theol. d. creat. p. 177. Lud. Crocius l. 3. Theol. c. 27. § 3. *Quanquam ex Nostris eam in totum neget* Flacius p. 1. Clavis. Voce aqua, p. 50. 51. *Dubitanter eam asserere & propugnare* Lutherum in c. I. Gen. v. 6. *ait* Pareus. *Sed* Lutherus *non de aquarum suprà cœlos veritate, sed qualitate & vi, quâ ibi teneantur, dubitat, cum graves sint, adeoquè naturâ deorsum tendant.* V. Comment. Luth. in c. I. Patrum *nonnulli allegoricè de s. angelis aquas explicant, ut* Origenes, *quem rejecit & confutavit* Basilius homil. 3. in hexaêm. *Nos proprium sensum literæ hic retinemus & urgemus. Iam si ita est, & supra cœlum stellatum, quod nobis supremum est, adhuc aquæ ambientes superficiem ejus sunt repositæ, utiq́ convexa ejus superficies alio corpore ambiente circumscribitur, & sic maximè est in loco, per definitionem loci* §. 57. *tradendam. Quòd si in vero proprieq́ dicto loco est, utiq́ instantia supremi cœli in loco non existentis in spongiæ laxitatem incumbet, & de aliter formando argumento cogitata suscipienda.*

XII. Quidam *ad spatium cœli recurrunt, quod ejus locus sit. Omninò ut de chao* §. 8. *dictum. Ita Reformati communiter, & ex nostris* Prætorius l. 2. Can. Metaph. s. 10. §. 3. *Sed illud spatium suo loco rejicietur.* §. 50. *Hic rectiùs Distinguendæ hypotheses erunt, ex quarum præassumptione instan-*

tia

tia vibretur. Benè enim quæsituros per proprias in genere instantias ad instandum idoneos esse oportet. Ut jubet Aristoteles 2. d. cæl: c. 13. t. 80. *Si cælum empyreum est supremum mundi corpus, ut potissima* Reformatorum *est sententia, paucis fortè exceptis*, V. t. 11. *Illudq́; verum aliquod corpus à DEO creatum est, nec tamen loco aliquo continetur, utiq́; verum aliquod corpus datur, quod actu in loco non est. Verum prius, ex communiore* Reformatorum *hypothesi. Et posterius igitur. Et ad hanc mentem apertè* Goclenius not. ad Met. Timpleri l. 2. c. 5. Etsi circumscribi loco seu habere certum ac finitum ubi & locum sit corpori naturale, i. e. propriam naturam corporis necessariò consequatur: tamen excipiendum est extremum cœlum, hoc enim locus omnium, sed ipsum non ambitur loco. Ex nostris hypothesibus, *quas communiter tenemus, instantia illa opponi ipsis non potest. Regerent enim, nos supra cælum adhuc aquas locare, quæ cælum circumscribant, sicq́; maximè in loco esse.* Si reponas, *ipsos tamen aquas istas communiter non admittere, eoq́; ex illorum hypothesi instantiam moveri, responsum feres, E. hypothesin illam* primò adducendam, *post ex eâ argumentum velut hypotheticum formandum fuisse, ut apertè vis ejus constaret. Secùs ars eludi arte possit, & hypothesibus contrariæ hypotheses non injuriâ obverti.* Vel ex nostrâ mente *instantiam de aquis supercælestibus, tanquam supremo mundi corpore, formandam fuisse. Ita litem ad aquas supercœlestes delapsuram. Aut ut* securiùs *in Universo hoc negotio procedas, instantiam* de supremo mundi corpore in genere *formandam memineris, non distincto, an cælum, an aqua supercælestis ejus vicem sustineat. Parum id ad hoc institutum, quo jam occupamur, quale illud corpus sit, quod sententiarum diversitatibus adhuc luctatur. Dum certum, Ve-*

rum

rum Aliquod corpus esse, ab utraque parte concessum, quod ambiente termino ab extra actu non circumscribatur, & sit omninò in proprio loco actu non sit. Relictis ergò incertioribus certiora sumantur, & ex illis instantia validiùs in dissentientes jaciatur. Supremum mundi corpus est verum corpus, *& non est actu in loco. E. verum aliquod corpus actu in loco esse non necessum est. Quomodo ex* Nostratibus *paucos ad hanc formam procedere video, ut de corpore supremo mundi instantiam forment, non præcisè supremo cælo. Vt* Scheiblerus intr. Log. c. 13. n. 35. *Vel mundo totaliter sumpto*, ut idem l. 1. Meta. c. 17. n. 7. Aristoteles *quidem supremum cælum in loco non esse asseruit, ac supra illud nihil amplius esse existimavit, ut* ex l. 4. Physic. c. 5. t. 45. 46. Et l. d. cæl. c. 7. t. 69. Et c. 9. t. 100 *patet. Sed hujus tanquam gentilis ignorantiæ facilè hoc condonari debet, quòd aquis cælum tegi ignoràrit. Cum hoc revelatione Scripturæ nitatur, cui Christianum insistere par est, non Naturæ aut luminis naturalis pervestigatione, ut citato* in Genesin *locò præclarè* Lutherus *docet.*

XIII. Dices: Locus tribuitur sublunaribus ob imperfectionem, non ob perfectionem. Fovet enim, sustentat, & conservat locus locatum. *Quia enim internâ sua formâ se perfectè sustentare non possunt sublunaria: DEus illis externam hanc, locum, addidit, qui defectum actionis formæ internæ suppleret. Cum autem Cælum sit corpus perfectissimum, perfectissimâ formâ constans, quæ perfectissimum actum materiæ largitur, eiq́; constantissimè se unit, ut nulla corruptio in eo metuenda sit*, utiq́; locus in cœlo frustraneus est. *Et consequenter aquæ istæ supercælestes vel frustrà ponuntur supra cælum: vel si ibi sunt, locus tamen cælorum non sunt, nam illo hi non indigent, nec ut loco foveri possunt. R. Si accuratè hæc res consideretur*, locus, in quantum locus, *tribuitur corpo-*

vi sublunari nec ob perfectionem magnoperè aliquam ipsius corporis, quod in loco est, nec ob imperfectionem, quam ipsi inferat, sed ob vicinitatem & contiguitatem ad aliud corpus coexistens, quod simul adest, & fugam vacui, quod natura per se in naturalibus non admittit, & quantum fieri potest, per causas secundas amolitur: Corpus in loco esse de facto, (aliud enim est localitas, locabilitas, seu in loco essendi habilitas, quæ intima corporis ut sic proprietas, & inseparabilis ab eo est, Vide §. 6.) non perfectionem infert ipsi corpori locato, dicit enim tantùm circumscriptionem ipsius ambientis externi. Sed ut aliquid externo circumscribente circumscribatur, per id in naturâ sui propriè non perficitur. Velut homo propriè in naturâ suâ non perficitur, si nova, alia atq; vestis ei circumjiciatur. Sed indifferens hoc ad perfectionem aut imperfectionem.

XIV. Fotura & conservatio locati, *quæ loco adscribitur, propriè non est loci, quà locus est, sed* vel quà in tali & tali corpore *circumstante est, quod corpori locato amicū, vel inimicum, commodum, vel incommodum est. Inde in substantiâ est, & vires expedire potest. Quidam hinc ipsum locum substantiam esse concluserunt,* V. §. 55. *Sic piscis in aquâ ut ambiente optimè degit, incommodè in aëre, pejus in igne: homo optimè in aëre, quem pro respiratione attrahit, eoq; aër ipsum conservat, non ut terminus continens præcisè, sed ut substantia tenuis, pura, hominis refocillationi: spirituum generationi & ventilationi maximè idonea: eoq; quò purior erit & defæcatior, & melius hominem conservabit: malè in aquæ circumscriptione, pessimè in ignis. Pyrausta in igne circumscribente benè degit, (si vera sunt, quæ hac de re tradunt Physici, de quo aliàs videbor) malè in aqua. Sic pro varietate locorum variari animantium generationes, operationes, quantitates, figuras, experientia testatur, & confirmat* Aristoteles l. 8 hist. anim. c. 28. 29. Vel

tales circumstantias *junctas habet, quæ locato corpori ejusq́; naturæ, temperiei, indoli, genio, gratæ eveniunt. Sic homo liberalis & delicatæ indolis suavissimè aëre circumdante puro, suaveolente, illustri, subtili, & quàm maximè orientali, ventisq́; salubribus agitato ambibitur, quia talis ejus temperamento maximè salubris est. Bœotbius, Thrax, Arcas, Setiger, commodissimè aëre crasso, sordido, nubilo, fœtido & sterquiliniis infecto. Nam qualia labra, tales lactucæ; & dignum patellâ suâ debet esse opertulum. Sic* Rusticus *ille fimeto ad sese revocabatur, cum myropolij suaveolentiâ in deliquium prolaberetur.* Vel quatenùs in aliquo *loco virtutes cœlestes conservantes Sublunaria meliùs recipiuntur, quàm in alio:* Vel situs naturalis *aut præternaturalis interdum accedit, indeq́; commodum aut incommodum loco adscribitur. Sic si quis commodè sedeat, benè locatus dicitur: si incommodè, malè.* Interdum *status gratus aut ingratus est, quod similiter loco imputamus. Sic loca barbara & omni humanitatis cultu destituta quidam incolere dicuntur. Sic* Seneca tranquillum in homine, non loco ait esse. *Et nostrum vitium esse, quo laboramus, non locorum.* d. tranq. an. c.2. *Ita multi loca Martialia detestantur, alij luxuriosa, alij Mercurialia, alij furiis pestibusq́; oppleta. Non locis stomachantur, sed statui: & locis adscribuntur talia translatione quadam. Idem de conservatione, quam Philosophi loco adscribunt, cogitandum. Locus, quà circumscriptio proxima corporis est, nihil juvat: Sed quà sub variis circumstantiis loco, ut sic, accidentalibus est. Hæ fovere aut molestare locatum possunt. Sic in carcere squallido fœtidoq́; litteratus tabescet, pessimeq́; aget: mancipium & ad molam ancilla competenter satis deget. Non locus, ut locus est, conservat, quia locus nihil agit: sed* qualitas corporis in loco conveniens. *Non sine loco vel extra locum ordinariè sublunaria conservantur:*

tur:

tur: Interim non per ipsum locum conservatio fit. Sic corpora locata naturaliter inclinant magis in hunc locum, quàm alium, & meliùs habent in uno loco ac altero, & sic servari in uno loco intelliguntur, corrumpi aut perverti in altero. Inde quædam corpora naturaliter locum deorsùm postulare dicuntur, quia natura eorum naturali inclinatione eò tendit, ut gravia: quædam sursum, ut levia. Vnde non esse quærendum, ait Aristoteles 4. d. cœl. c. 3. t. 24. Cur ignis sursum, terra deorsum feratur? *Perinde ac non, cur sanabile, si mutandum sit, in sanitatem mutetur, non in albedinem. Quia nempe internam inclinationem eò habeant. Quædam aquea & humida loca amare dicuntur, ut cygni, anseres, alcyones: quædam sicca, ut pyrausta, Salamandra, &c. Perinde ac de ubi suprà dictum* s. 1. §. 31. *Hac ratione &* locus attrahere locatum dicitur, *non propriè, quàsi virtutem aliquam locato communicaret, quà ad locum traheretur: quomodo magnes ferrum ad se trahit, & ambra calefacta paleam: Non enim v. g. terra, ut centrum, lapidi à sphæra lunæ demisso vim quandam immittet, quà deorsùm ad se tendat: Sed metaphoricè, quia est finis & perfectio rei, ad quam ideò res naturali appetitu tendit, ei adhærescit, & in eâ quiescit. Quomodo finis trahit agentem, bonum allicit appetitum, & sua quemq́; voluptas, ut dicitur, trahit, explicante* Pererio l. 11. Phys. c. 1. *Et rectè* Conimbricenses in 4. Phys. c. 5. q. 1. a. 3. Loco naturali conservatrix virtus attribuitur, *non quasi virtus in solâ ambiente superficie adhæreat, aut extra velut fonte ad locatum permanet, præcipuè enim influxus per media corpora è cœlo derivatus conservat: Sed quatenùs, dum corpus intra ejus complexum cohibetur, conservatrices qualitates meliùs recipit.* Conf. & Zabarell. d. mot. grav. cap. 2. Mendozam d. 14. Physic. §. 15.

XV. Neq; in loco esse præcisè imperfectionem aliquam

in corpore dicit. *Nam circumdari externo ambiente ex se & per se nihil incommodat rei corporeæ, sed competentia aliqua est, quæ ei convenire potest, si in contiguitate cum aliis, quæ circũdare possunt, ponatur, Vt ex circumdatione ut sic, nec commodetur magnoperè illi, nec incommodetur.* Per aliud quiddam accedens fieri potest, ut imperfectionis aliquid corpori importetur. *Vt cum locus circumstans malignitatem quandam junctam habet, ut cum in aëre pestilenti vivendum est, aut locus aliàs ingratus est, ut cum squalido & tenebricoso carcere degendum, aut cum situs præternaturalis & violentus in loco est; ut cum capite ad terram porrecto pedibus supra eminentibus homo locatur, aut inclinatio corporis loco adversa est, & contrarium appetit. Vt cum gravia sursum detinentur, quæ suapte naturâ deorsùm tendunt, & levia in fundo attinentur, quæ per naturam sursùm evolare desiderent, aut simile quid accedit, quod locato corpori incommodum importet. Ait quidem* Aristoteles, *ut ex* 2. d. Cœlo. c. 4. vel. 4. d. cœl. t. 23. 24. *nonnulli allegant, locum corporibus* ob θνητὴν δυσχέρειαν & mortalem imbecillitatem tribui. *Sed longè diversum est, ob imbecillitatem corporis locum ei assignari: & in loco esse in se imperfectionem aliquam corpori importare. Sublunaria ex se mutationibus, generationibus, alterationibus, & corruptionibus vicissitudinariis perpetuò sunt exposita, quod* ex materiæ conditione *habent, quæ perpetuum mutationum subjectum, ac ad corruptiones subeundas naturales inclinationes habet, nisi impediantur, ut & primum parentem ob materiæ fluxibilitatem potentiâ remotâ corruptibilem fuisse concedant Theologi, etsi potentiâ proximâ quam actus tandem sequi debeat, talem fuisse rectè negent,* V. dec. 2. misc. d. 10. t. 12. 13. *Quia talia ex se suisq; principiis sunt sublunaria, additus illis per contiguitatem corporum succedentium velut externus conservator,*

locus,

locus, ad quem naturâ sui inclinent, eum appetant, & quo, si locentur, velut competente termino & perfectione esse, ac in statu sibi naturali quiescere dicantur. Ita ob mortalem imbecillitatē loco velut externo servante indigere dicuntur. Non autem loco cingi ex naturâ sui corporibus vel corruptionē infert, *quam aliàs non habeant vel imperf: Sed quam jam ante naturaliter habent, locus ut externum conservans pro suâ ratione averruncare à Philosophis* sensu ante explicato *asseritur.*

XVI. *Exemplorum instantiis, ut* Chai seu primi corporis creati, universi, supremi mundi corporis, cœli vel aquarum supercœlestium, corporum à DEO vel ultra mundum in spatiis vacuis, vel in mundo in spatio inter cœlum & terram interjecto evacuato creatorum, planum fecimus, *actu in loco esse & spatium occupare, de naturâ alicubitatis circumscriptivæ corpori propriæ & attribuendæ non esse, sed* locale esse, & circumscribi posse. Alij *& exemplo corporis Christi in λόγῳ existentis & corporum glorificatorum in cœlesti gloriâ degentium in hac re utuntur.* V. D. Meisnerum p. 1. P. S. p. 458. *Quia multum hac adhuc cum Adversariis controversa, omittenda duximus.* Tutissimum, ex minùs Controversis *instantiam depromere. Postea* §. 123. 124. de *Christi corpore, quod totum revelationis supernaturalis res est, non naturalis indaginis, disserendi erit occasio.* Jam Rationibus quibusdam idem firmari *potest, quarum* sequentes *breviter assignabimus.* 1. Si alicubitas circumscriptiva actualem corporis locationē requirit, *& consequenter locus necessariò à corpore de facto est occupandus, aut illa locatio à priori & constitutivè corpori erit necessaria, aut à posteriori & consecutivè. His enim modis quidquid naturaliter alicui necessarium est, necessum esse inductione naturalium constat. At* neutro modo *est necessaria loci occupatio.* Non à prio-

priori, *non enim locus aut locatio est principium corporis à priori constitutivum, esset enim vel materia vel forma.* Non materia, *hæc enim causa immanens in ipso corpore est. At locus aliquid extrinsecum corpori est, ambiens nempe terminus:* Nec forma, *nam hæc actus substantialis corporis est, corpus tale vel tale faciens. Sed locus accidens corporis est, non forma substantialis, ut* c. 53. *patebit. Et materia ac forma non separantur à corpore, quamdiu corpus durat: Sed locus separatur. Ut jam olim* Aristot. l. 4. Physic. c. 2. § 17. 18. 19. seq. *demonstravit.*

XVII. Nec à posteriori, *flueret enim hæc affectio, in loco esse, ex principiis corporis constitutivis, materiâ & formâ. Ita enim affectiones naturales rerum à posteriori illis necessariæ ex principiis illarum constitutivis fluere solent. Ut docilitas ex rationalitate hominis, formâ ejus: rugibilitas ex formâ leonis, latrabilitas ex canis, quantum & in totum extensum esse ex naturâ materiæ, & sic consequenter. At neutro modo ex principiis corporis locum occupare de facto, fluit.* Non enim ex materiâ, *ex hac enim quantitas fluit, ex hac extensum in totum & partem esse, ex hoc ambiente cingi posse, non tamen statim de facto cingi, Cum in multis corporibus hoc separatum fuisse supra ostenderimus,* §. 6. 7. seq. *Quæ tamen materiam, quantitatem, & extensionem in totum retinuerunt. Si autem necessariò materiam actu in loco esse sequeretur, omnem materiã sequeretur, & omnia corpora, quod non. Nam si externum corpus cingens non adsit, actuale cingi non aderit, etsi ejus habilitas semper in corpore maneat.* Nec ex formâ, *quia actus substantiales non spatia & loca respiciunt, quasi eorum causæ: sed potentias operativas & operationes, determinationes specificas in materiis, & similia, quorum causæ formæ esse solent. Locus autem & localitas talis affectio non est.*

est. Deinde si ex principiis corporis constituentibus *sequeretur locus & locatio, per se esset de corpore, in loco esse. Atq; ita & de* omni *corpore verum esset, in loco esse.* A per se enim ad de omni in eodem subjecto manendo, firma est consequentia. *Vt homo per se est docilis. E. omnis homo. Leo per se est rugibilis. E. omnis. At non est de omni corpore, non enim* de chao primæ diei, non mundo, non supremo mundi corpore, *non corporibus in vacuo à DEo statutis & conservatis, ut supra ostensum. E. nec per se de corpore, quà corpus est. Et consequenter non fluit hoc ex principiis ejus essentialibus. Nam quæ ita fluunt*, per se sunt suis subjectis, saltem in secundo dicendi modo per se ab Aristotele *in Analyticis adducto, & hactenus à Philosophis consentienter admisso.* Deniq; *quæ ut propria à subjectis fluunt, eadem numero in individuis suis manere solent. Sic docilitas, flebililitas, in hoc individuo humano; Petro, Paulo; quamdiu id manet, una numero est. Sed locus in corpore non idem numero manet, sed passim variatur. Ita modò in hoc, modò in illo aut alio loco Petrus esse potest. Modo in hac aëris proximâ ambitione, modò in illâ, modò in tertiâ, & sic consequenter. Corpus autem idem numero manet, Petri, Pauli, & naturalia ejus Consequentia etiam eadem numero manent.*

XVIII. 2. Si alicubi circumscriptivum actualem locationem in corpore importat, *aut in corpore illud faciet, quatenùs corpus in genere est, aut quà corpus in specie, tale & tale est.* Non prius, *sic enim in omni, nam à quatenùs ad de omni bona est argumentatio. At non in omni, ut ante ostensum. E. nec in corpore, quà corpus in genere est.* Nec quà corpus in specie, *tale & tale est, v. g.* τὸ δὲ ἢ, *actu existens, & materiâ constans, sine quantitate & dimensionibus non existens, ac sic propterea sine localitate & præsentiâ esse non valens.*

valens, ut Sadeel. *contendit* d. verit. hum. Ch. c. 3. arg. 4. *Nam vel iterùm hujus corporis constitutivum vel consecutivum ista locatio erit. Non illud, quia nec materia hæc, nec forma hæc. Nec hoc, quia vel ex materiâ hac, vel formâ hac flueret. Non ex formâ, ut patet. Nec ex materiâ hac, ex quâ quantitas hæc, dimensiones hæ, partes hæ extra partes sequuntur, quæ in loco esse possint, adeoq; locales seu locabiles sint, in quo consentientem habemus* Goclenium, *verbis, quæ* §. 21. *adducemus. Perinde enim hæ voces, localitas & locabilitas, Philosophis usurpantur.* Vide D. J. Mart. part. Metaph. l. 2. l. 14. q. 9. *Consentit* Crocius p: 1. Conver. Pruten: q. 8. p. quæ. *localitatem de potentiâ essendi in loco accipiens. Etsi interdùm distingui non negemus, ut locale actum in loco essendi, locabile potentiam notet, Vt* Goclen. Lex. Philos. Voce Localis *adducit. Hic satiùs inter locale & locatum, locationem & localitatem distinguitur. Sed* Actu in loco *adeoq; locatæ esse non statim teneantur, nisi externum ambiens reale simùl ponatur, quo tale corpus circumscribatur.* Spatium suum & ubi *tale corpus habet, non præcisè terminum extra circumscribentem, qui locus. Sic Chaos primi diei, supremum corpus mundi, corpus à Deo extra mundum formatum, omnia τὸ δὲ ὤ & determinata hæc corpora sunt, nullum tamen eorum actu in loco, ut ante* §. 6. 7. seq. *visum, etsi localia semper fuerint & manserint, hoc enim inseparabilis à corpore proprietas. Sed* proprietates de potentiis sunt accipiendæ *in naturalibus, non actibus, quamvis verbis actum notantibus interdum exprimantur.* V §. 2. *Similiter* attributa transcendentalia, *inter quæ & esse alicubì circumscriptivum, magis à potentiâ, quàm actu describenda, nisi ubi res purissimus actus est, ut in Deo* V. s. 3. §. 6. *Et ubietas formaliter coëxistentiam alterius non importat sed ab eo præscindit.* V. s. 1. §. 8.

DE ESSE ALICUBI

EXERCITATIO SEPTIMA.

De Esse in Loco.

Respond. ABRAHAMO HEYSEO, Dantiscano.

Thes. XIX.

NEC differt alicubitas circumscriptiva realiter ab essentiâ finitâ circumscriptibili, sed modaliter tantùm, ideoq; ab eâ est inseparabilis. Circumscriptio autem actualis *externo circumscribēte facta* omninò separari potest, *Ut exempla docuerunt*, §.6.7. *Hæc ergò in definitione alicubitatis circumscriptivæ intelligi non potest. Si* præsentiam *inter proprietates etiam retuleris, & nec corpus sine præsentiâ esse posse dixeris, quod* Sadeel c.1. *facit, nisi voces probè distinxeris, aut sub vocum ambiguitate ludere velis, satis inaccuratum disputatorem te prodes, qui relativa proprietates absolutorum dicas, & merè contingentia pro necessariis rerum proprietatibus substituas.* Præsentem aliis *esse adeò corporis essentiæ est per accidens, ac hominis, esse patrem & respectum ad filium habere, vel bovis, vitulum generasse, & relationem ad eum obtinere. Corpus ut corpus, vel hoc aut illud corpus, est absolutum quid, materiâ suâ formaq; constitutum, alicubi circumscriptivum poscens. An præsentiam ad aliquid coëxistens habeat, prorsùs ei indifferens est. Chaos primo die creatum verum corpus fuit, ad aliud creatum præsentiam nullam habuit, quia nullum fuit, cui præsens esse posset.* Præsentia accuratè loquendo est rei ad aliud simul existens adessentia & propinquitas, f.1.§.40. *Illo non existente frustrà langues de præsentiâ. Et perpetuò* ubietatem essentialem cum præsentiâ confundis. *Corpus ubietatem essentialem habet, est alicubi terminabiliter & ad*

modum finitorum definitè, in spatio aliquo vel reali vel intelligibili, ut extra illud alibi simùl non sit; ut eo circumscribi possit & debeat. Hoc necessarium & æternum corporis ex naturâ sua spectati consequens est: præsentiam ad aliud non semper habet, nisi aliud extra se simùl coexistat. Nec sunt Philosophis hæc confundenda, quæ distinctis rerum vocabulis enuntiari ipsa rerum distinctarum Philosophica consideratio requirit. Ne ubietas quidem divina statim præsentiam infert, c.l. §.39. *Ne de creatorum ubietate statim eam inferas, nisi omnia Naturæ fundamenta rerumq́; definitiones convellere velis, quod* non Philosophi est facere, sed Barbari.

XX. 3. Si actualis locatio simpliciter necessaria corpori; *ergò erit accidens necessarium vel internum vel externum.* Non Internum, *non enim ab internâ naturâ corporis emanat, in loco esse, sed locale tantùm vel locabile esse. Hoc enim quantitatem necessariò comitatur, in totum extensum esse, ac proinde partem extra partem habere: Quod dimensionibus præditum, id spatium aliquod pro dimensionum suarum mole occupat. Quod spatium occupat, id alicubi est circumscriptivè,* ut circumscribi ambiente possit, *non necessariò circumscriptè, ut ambiente actu sit circumscriptum. Hoc enim à multis corporibus abfuit, ut supra* §.6.7. seq. *ostensum. Iam circumscribi posse naturaliter quidem à quantitate & dimensionibus emanat: non autem actu circumscriptum esse. Hoc autem propriè est in loco esse, ut* §.57. seq. *ostendetur. In spatio esse, spatium occupare, alicubi esse, & locabile quidem inferunt, quod de corpore non negamus: non tamen statim* in loco vero proprieq́; dicto esse *inferunt, quo de nobis cum adversariis est concertatio. Hic enim sine termino ambiente & circumscribente non datur, ut ex potioribus Philosophis & maximè probabili sententiâ* c.l. *ostendetur.* Nec externum 1. Quia

nullum

nullum externum *est simpliciter de essentiâ interni, sed contingens. Sic homini vestitum, annulatum, ocreatum, militi armatum esse, &c. parieti dealbatum, visum, tactum, &c. esse. Omnia enim essentialiter necessaria rei ab intra manant, non ab extra circumstant. Externa ad melius esse, benè, ornatum &c. esse facient, non simpliciter ad esse. Sic locus si necessarius corpori, ab extra, ut externus servator locati, necessarius erit, ut quidam volunt,* V. §. 15. *non simpliciter & essentialiter.* 2. Quia externa *separari possunt à rebus, salvâ permanente rerum essentiâ. Sic libri à studioso, arma â milite, vestimenta ab homine. Quæ simpliciter necessaria sunt, non possunt, nisi præternaturaliter res constituatur. Sic si homo esset, & potentiâ ridendi, flendi, destitutus esset, quod per absolutam potestatem tolli ab ipso posse non pauci opinantur, omninò* præternaturaliter *constitueretur. Sed corpus non præternaturaliter constituitur, etsi locus ei adimatur, ut exemplis* χάεος, *Universi, supremi orbis corporis, &c. planum factum, quæ naturalem statum & olim habuerunt, & adhuc habent, si chaos excipias, quod desiit.* 4. Si actu extendi *in loco est essentia quanti, non poterit intendi & remitti ratione loci, ut vel majorem vel minorem locum occupet Essentiæ enim rerum sunt indivisibiles. At potest, ut rarefactiones & addensationes quantorum docent. E. in eo non ejus essentia.*

XXI. *Rationibus* Authoritates subjungamus partim Philosophorum, partim ipsorum Adversantium. Ex Philosophis Aristoteles *supremo cælo locum actu negat, quod supra se ambientem terminum non habeat, ut loca* §. 12. *sunt allegata.* Scaligeri ex. 5. s. 6. *authoritas etiam adduci hic solet. Sed expressè ille contrarius. Tametsi locum non esse de essentiâ corporis, nec corpori, ut tale, necessarium, sed respectum extrinsecùs advenientem concedat: non tamen sine illo esse posse concedit.*

cedit. Tanquam proprium ejus inseparabilem ab eo esse fatetur. Zabarella l. de Phys. constit. c. 5. *negat locum esse rem aliquam internam, quæ possit appellari forma rei motæ, & à quâ possit vocari motus generatio.* c. 20. *Similiter, Locus, ait, non est quid inhærens locato, sed extra est. Quare locatum non dicitur acquirere locum, sed potiùs locationem, seu, ut vocant, Vbi, proinde rectè à Latinis interpretibus vocatur motus ad Vbi. At externa & circumstantia separari à rebus omninò possunt.* Suaretz d. 51. Metaph. s. 2. n. 4. *Quidam, inquit, Vbi dicunt locum intrinsecum, superficiem continentem extrinsecum,* ut Toletus. *Si tamen simpliciter loquendum est, magis videtur nomen loci impositum* loco extrinseco & continenti, *& ideò* Aristoteles *simpliciter de illo sub nomine loci locutus est. Nam reverâ esse in aliquo tanquam in loco in proprietate significari videtur habitudinem ad alium distinctum & continentem rem locatam. Vnde secluso corpore circumscribente non tam propriè dici potest corpus in aliquo, ut in loco, quia nec in spatio imaginario est ut in loco, cum illud spatium nihil rei sit, & nomine loci omnes intelligant aliquid reale: neq; etiam est in spatio reali intrinseco ut in loco, nam potiùs ipsum corpus est tale spatium intrinsecum, saltem realiter: neq; etiam propriè in illo modo intrinseco ut in loco esse dicetur. Si ergò esse in loco propriâ locutione habitudinem ad rem continentem & distinctam dicit: propriè locus non dicetur de ipso Vbi, sed de extrinseco loco vel proprio, vel communi, quomodo aqua in vase esse, vel domo, mundo, esse dicitur.* Hæc ille. Conf. §. 35. *Si locus propriè loquendo est quid extrinsecum, utiq; à locato separabilis erit. Sicq; non omne corpus in loco esse actu tenetur.* Fonseca *similiter* in l. 5. Metaph. c. 12. q. 7. s. 2. *locum esse superficiem externam non inhærentem ei, quod denominat locatum, quantitatem duarum dimensionum internam & inhæren-*

hærentem quanto suo ait. Externa autem rebus sunt extraessentialia. Eadem ap. Arriagam d. 14. Phys. s. 1. §. 1. Conimbricenses in prædic. Aristot. c. 4. q. 1. a. 3. & c. 9. q. 2. a. 1. aliosq; *videas.*

XXII. Ex Adversariis Keckermannus l. 2. contempl. de loco c. 1. & tra. sing. d. qu. & locat. corp. natur. c. 2. §. 8. *locum extrinsecum ne quidem accidens corporis dicendum censet, sed circumstans seu adjacens, velut &* Aristoteles *ipse locum & tempus extrinsecè spectatum* ἔξω προσκείμενα *seu extra adjacentia vocet. Unde & admodùm* incautè loquantur isti, qui locum extrinsecum affectionem corporis naturalis vocent, id quod de tempore suo loco dicturus sit. *Si sic est, & locus externus ne affectio quidem corporis est, utiq; abesse eum à corpore posse salvâ hujus essentiâ palàm est.* Lib. 1. Phys. c. 6. §. 1. *locum externum omninò separabilem à locato fatetur. Quod &* tract. citato p. 37. §. 1. & p. 43. *facit. De interno loco, ut ipsi vocant,* circumscriptione partium corporis à terminis internis facta *in sese, inter nos & ipsos nulla unquam quæstio fuit, quin corpori essentialis sit. Tota circa externum ambientem locum fuit Controversia. Satis est, si hic reos confitentes habeamus.* Idem Keckerm. *locum externum* basin *& fundamentum corporis substratum facit, cumq; eo* Timplerus, ut §. 53. *videbitur. Ex hac hypothesi Terra etsi verissimum crassissimumq; corpus, non esset in loco, non enim basin habet, quâ nitatur, sed ipsa imum Universi & totius fundamentum ex communiore hypothesi est, ac super nihilo fundata, ut* Jobi 26. v. 7. *dicitur. Similiter corpora suspensa sine loco essent, nam sine basi, cui innitantur.* Goclenius p. 3. miscel. p. 42. Systatica humanitatis *Christi sunt anima & corpus ejus. Corporis, ut est in Categoriâ quanti, systatica sunt tres dimensiones. His intimè cohæret Localitas.*

Hæc absolutâ necessitate humanæ naturæ Christi sunt necessaria. Itaq; corpus ipsummet Domini sine dimensivâ seu molis quantitate in pane esse nefas dictu est. Ad peristatica seu circumstantialia pertinet locus. *Hic corpori Christi necessarius est tantùm necessitate ex hypothesi. Ambiri enim loco, h.e. superficie corporis continentis non est de ratione seu essentiâ corporis, quatenùs corpus.* In Concil. Phil. p. 337. locum non corpori, *quatenùs corpus est, necessarium fatetur, nec enim omne corpus actu in loco esse. Ita τὸ χᾶν non in loco. Iterum de nostro loco veritas sententiæ nostræ plana est. De localitate inter nos non Controversia.* V. §. 18. *Sed adversarij cum hac locum externum complexi sunt, ut* ex Goclenio Lex. Phil voc. locale, Sadeele l. d. Sacram. manduc. c. 3 & 4. & l. d. veritate humanitatis Christi, Alstedio p. 2. Theol. natu. c. 3. §. 1. & p. 1. Phys. c. 11. Pezelio p. 36. demonst. c. Doct. Hunnium, Aretio, Beza, *aliisq; patet. In eo nos contradicentes habuerunt.* Alstedius p. 1. Phys. c. 11. §. 3. *Omne corpus est in loco exter. vel interno. Sic mundus non est in loco externo, quia est primus seu ultimus locus, & extra mundum non est spatium reale, in quo ille sit. Est tamen in loco interno, i.e. spatio dimensionibus suis adæquato. Hinc locus internus dicitur proprietas corporis absoluta, quà scil. corpus est: Sed externus relata, quà corpus est mundi pars alteri parti contigua.* Idem p. 8. Phys. c. 4. §. 8. *Mundus non est in loco externo, quia ipse est primus locus externus, in quo subsistit ratio, ne detur progressus loci externi in infinitum. De spatio & loco interno § 45. dicetur. Nobis satis est, aliquod corpus sine externo loco esse posse.*

XXIII. Martinius in Theol. l. 2. p. 1169. *Finitum esse loco corpus Christi, h.e. spatio certo, ut extra illud non sit, ubicunq; tandem sit, necessarium est. Esse actu corpus humanum*

num non potest, nisi certâ cum dimensione sui, si non ad corpus aliud ambiens, absq; quo esse potest: *attamen ad certum intervallum*. Pag. 1167. *Quid tùm verò, si nunc in cœlo non ambiatur exteriore circumscriptione aëris? Si cœlum supremum non est aër, neq; illic ab aëre ambietur. Si supra cœlum aliquando sit, in spatio erit finito, & à nullo alio corpore terminabitur*. Pag. 1140. *Hoc non disputamus, quod corpus Christi necessariò comprehendatur dimensione alterius loci ambientis, h. e. alio corpore, à quo contineatur. Id quidem evenire potest, ut corpus Christi ponatur ultra summum cœlum, & tunc à nullo alio corpore ambietur: & tamen interim finitum erit terminis substantiæ suæ, atq; ita etiam in spatio finito erit, quod vacuum à corpore esset, donec ibi Domini corpus poneretur. Quin autem & hoc spatium* saltem certo modo, *locum vocemus, nulla ratio prohibet*. Pag. 1141. 1142. *Esto verò, omnium corporum, summum, etiam quantum ad locum, sit corpus Christi. Ex Aristotelis principiis ea illi tribuentur, quantum ad locum, quæ ille ultimæ sphæræ assignabat. Nec verò de eo lis nobis est cum Ubiquetariis*, an omne corpus necessariò sic sit in loco, ut ab alius corporis superficie includatur. Si quis enim hoc affirmet, insaniet. Ita enim in infinitum corpora alia aliorum capacia esse oporteret. Pag. 24. (*allegante* D. Mentzero in Antimart. p. 40.) *Suis terminis terminari est de essentiâ corporis, nec ab eo potest separari sine sui destructione. Terminis alienis terminari seu ambiri loco, est accidens*. Pelargus disp. d. ascens. t. 167. *Actu in loco esse & terminis alienis circumscribi â corpore est separabile. At τὸ πεφυκὸς i. e. locabile â corpore separari nequit, quin veritas corporis destruatur*. Bergius anal. d. pers. Christi t. 255. *Sine loco Physico seu Aristotelico corporis ambientis facilè concedent Reformati non Christi modò, sed & quod-*

vis

vis aliud corpus potentiâ DEI absolutâ conservari posse, perinde ut cælum extimum. Vt autem corpus sit alicubi sine occupatione spatij finiti & dimensionibus adæquati, itemq; ut sit in tertiis, & tamen non in loco physico, id contradictionem implicare autumant. Hactenùs locum ambientem corporibus non necessarium fatentur. Hunc verè dictum locum *nos habemus. Cætera de spatiis* aut *locum nō faciunt*: aut *verum non faciunt, sed cum generali alicubi essendi terminabili ratione confundunt, & ubi aut ubicationem ponunt, quæ & in spiritibus est, cum locus propriè dictus nonnisi inaccuratè illis tribuatur*: aut *perpetuus logomachiis & verborum contentionibus in voce loci & in loco esse intricantur, contra præceptum Apostoli*, I. Tim. 6. v. 4 20. Ut §. 36. 41. *uberiùs dicetur.* Ex generali Reformatorum hypothesi *sic infero*: Potest DEus separare *ab humanâ natura, quæ verum corpus, quod majus & separabile esse incredibilius est, subsistentiam humanam, & eam ad alterius suppositi subsistentiam trahere, ut in humanitate Christi factum novimus, & id nobiscum fatentur ac defendunt Reformati. E. & poterit separare, quod minus est, & credibilius separari posse, externum ambiens, locum externum. Ampliùs hoc ex* §. 74. *patebit.*

XXIV. *Satis* exemplis, rationibus, & authoritatibus *confirmatum esto*, verba definitionis, quantum occupativè in spatio circumscribente esse postulare, *de potentiâ in corpore & habitudine ita in spatio essendi intelligenda esse, non præcisè actu. Iam, etsi quosdam Adversantium hic confitentes habeamus, pro meliore totius materiæ luce* & potiora dissentientium argumenta *lustremus, quibus & actu spatium à corpore occupari debere confirmant.* Corpus esse sine loco ambiente, absurdum, imò impossibile est. Ait Aretius in locis loc. 21. in folio. *Similia ap.* Bezam in sum. Sacram. §. I.

habe-

habebis. Oppositum Bergius *& alij asserunt*, t.22. Dices 1. Locus nullo modo est terminus ambiens, *sed spatium à corpore intra illud ambiens pro molis suæ quantitate occupatum. Terminus ambiens est tantùm locus physicus, non generalis, Aristotelicus, non universalis, ratione sublunarium tantùm & corruptibilium corporum, non in genere omnium. Et consequenter nec pro generali omnium loco assumendus. Sed spatium mole suâ occupatum universalissimus omnium corporum locus est, ut corpus nec detur, nec cogitari possit, quin spatium suæ quantitati conveniens occupet, sive externa superficies illud ambiat, sive nulla. Iam in spatio molì suæ conveniente occupativè de facto esse omni omninò corpori convenit. E. nullum sine loco proprio existit.* R. Totum *hoc argumentum* ex hypothesi definitionis loci *procedit, eoq; solvi non debet, nisi certo quodam hic de naturâ loci deciso. Ostendetur* §. 50. *malè aut non satis distinctè & completè locum definiri per spatium. Verum ejus genus terminum ambientem esse. Eo posito concidet vis totius argumenti, & in totum negabitur major.* 2. Omne corpus est finitum & quantum. *E. & dimensionibus suis extensum. E. & in loco, à quo circumscribatur. R. A finitum & quantum esse ad circumscriptivum aliquo esse benè colligitur, malè* ad circumscriptum actu esse. *Hoc enim à quibusdam corporibus abesse potest, quæ tamen corpora.* V. §. 6. 7. seq. *Verum quidem, si corpora quanta non essent, in loco non essent. Non tamen quantitas simpliciter causa locationis, sed circumscriptio externi ambientis. Si quanta non essent, ne circumscribi quidem possent. Non tamen, si quanta sunt, necessariò* actu circumscripta sunt. Deinde circumscriptio vel *est terminus ipsius quantitatis, ut illi ita se in quanto habeant, & non aliter, hæc necessariò & inseparabiliter in corpore:* vel terminis *externi ambientis, hæc de facto contingens & separabilis est.*

XXV. 3. Actualis extensio *dimensionum & commensuratio partium extra partes à quanto per impossibile separari non potest. Facit enim essentiam quanti, per quam partes extra partes subsistant, non penetrantur aut confunduntur: & quantum dare actu per dimensiones non extensum, est quantum non quantum dare, quod contradictorium. Si omne quantum actu in dimensiones extensum, actu spatium moli proportionatum occupare oportet. E maxime actu est in loco.* R. 1. Antecedens dubium videri potest. *Naturaliter à quanto extensio quantitativa resultat, de quo nemo dubitat. Sed an nullâ potestate actus iste resultandi inhiberi queat, dubitari saltem posse dixerint multi. Si à gravi actualis gravitatio & ponderatio, ac deorsum tensio, levi levitatio, à calido calefactio, frigido frigidatio, humido humectatio, sicco exsiccatio, motivo motitatio, removeri potest, etiam per naturam interdum & artem, cur non per DEI potestatem à quanto actualis extensio partium in dimensiones seu quantitatio, ut ita loquar, tolli posset, servatâ materiâ, corpore & corporeitate, ad quantitate? Par enim universorum horum quoad hoc, emanationem actus à suis formis, à quibus emanant, est ratio, nec qui evidentem diversitatem assignaverit, ex dissentientibus legi ullum. Vt à gravi gravitatio, humido humectatio &c. naturaliter resultat, nisi præternaturaliter inhibeatur: sic à quanto actualis extensio & quantitatio, nisi similiter impediatur. Sed à gravi gravitationem abesse Philosophi docent, cum terram & aquam in propriis locis non gravitare, aërem & ignem non levitare ajunt. Et consentit his* Alstedius p. 2. Phys. c. 4. §. 15. *Gravitatio enim est, cum actu quid descendit. At hoc à terrâ in suo loco existente abest. Ita ferrum divinitùs retentum, ne in aquis descenderet, i. e. gravitaret.* 2. Reg. 6. v 6. *Ita Christi corpus non mersum aquis,* Matth. 14. *Vbi eff ctum divini-*

divinitùs consentit Chamier l. 6. T.2. c. 2. *ut contra ordinem naturæ cohiberetur effectus ponderis, sic, ut quantumvis grave, non mergeretur tamen. Levitatio, cum sursum quid ascendit. Hoc ab igne in propriâ sphærâ existente abest, ab aëre interdum tolli potest. Calefactio ab igne variè abesse potest, partim artificio*, Vide dec. 1. miscell. dis. 3. t. 25. *partim miraculo*, V. §. 27. s. 2. hujus tractatus. *Frigidatio ab aquâ tollitur, si sole, igne, vel aliunde calescat, cum aliàs primum frigidorum inter elementa*, ut dec. 1. d. 2. t. 19. *ostensum. Aër elementum humidissimum Aristoteli & sequacibus definitur. Humectationem tamen persæpè abesse, & magis exsiccare cum sole ventisque perspersum, experientia attestatur. Idem elementum leve est, Levitatio tamen tollitur, quando vaporibus aqueis crassioribus oppletus deorsum mergitur, ac suprà attolli prohibetur. Aquam liquidum quid, & quod fluere velit, esse simus. Fluorem tamen ipsi detractum, & consistentiam datam citra congelationem* Exod. 14. v. 22. & Josu. 3. v. 16. *refertur. Solem perpetuum mobile quid esse planum est. Motitationem tamen aliquando sublatam ab co Iosue historiâ edocemur*, Jos. 10. *Si in his actus à suis formis naturaliter resultantes impediri possunt, ne resultent, Cur non à quanto actus quantitativus, extensio in dimensiones facto occupata?* Dices: Duplex est actus in igne, *calere & calefacere: In aquâ frigere & frigefacere. Hic respectivus est & abesse potest: ille absolutus, & non abesse. R. Si frigere & calere ut actus primi sumuntur, respondent τῷ calidum & frigidum esse, & habentur pro formis vel propriis rerum consequentibus. Si formæ sunt, separari nequeunt. Si propria, divinitùs separari posse multi disputant, etsi naturaliter consequantur.* V. t. 25. *Sed propriè actus rerum istarum dicimus, qui in alia feruntur. Ut aquæ infrigidare, ignis calefacere.* Hos saltem *abesse posse certum, & nostro scopo sufficiens est.*

XXVI. Dices: Non actus, sed formalis quanti ratio est, *extensum in dimensiones esse, partesq́ extra partes situatas habere, sic enim definitur quantitas, accidens, à quo res denominatur extensa. At formales rationes à rebus nullâ potestate abesse possunt.* Responderi possit: *Formalis ratio dicitur* vel secundùm rem *&* *à priori, Ita extensum esse formale quanti esse dubitari posse, sed aliud quid, quod distinctionis gratiâ extensivum esse dici possit, vel impenetrabile per se esse cum alio individuo ejusdem speciei, quod asserentem vide* Arriagam d 5. Metap. n. 14. Vel *aliud quid sit, quod per caliginem nostram distinctè vix enuntiemus, prout in rerum formis & formalibus assignandis enuntiandisq́ plerumq́ Tiresiâ sumus cæciores:* vel secundùm *rationem nostram & à posteriori. Ita formale ejus extensum esse, sed consequens negandum, nullâ vi separari posse. Sic enim rerum propria pro formalibus nostro concipiendi modo assignamus, quæ tamen à DEO à subjectis separari posse alibi non sine fundamento disputatur. Sic leonem quadrupes rugibile, canem latrabile finimus.* Non formalis ratio à parte rei est rugibile leonis, latrabile canis: sed forma ipsa substantialis *pro essentiali differentiâ assignanda esset, si tàm liqueret, quid esset, quàm non liquet. Quo de alibi actum.* V. dec. 2. Misce: d. 2. t. 1. *Aquam elementum frigidissimum & liquidum finimus. Certum, accidentia illa propria esse aquæ, non essentiam à priori & constitutione suâ acceptam. Nobis tamen in formalem rationem assignatur, quia aliud assignari nequit. Non tamen dubium, DEum & leoni rugibile, & cani latrabile, & aquæ frigus aut liquorem enervare posse, salvis iterùm substantiis. Similiter de quantitate* & actuali in molem extensione *suspicari licere quis dicat. A posteriori nos ita definimus, quia à priori non quimus. Posteriora autem quædam, quæ velut propria aut actus à subjectis*

jectis

jectis emanantes sunt rerum, divinâ potestate à subjectis auferri posse apud eos dubitandi rationem non inveniet, qui naturæ limitibus divinam potestatem circulari non sustinuerint, quod alibi latiùs forte deducendum. Si a priori in hac *materiâ aliquid dicendum esset, dici posse asserent nonnulli, corpus esse, quod materiatum sit. Materiatum, quod quantum. Quantum,* quod extensivum *seu extendi possit, velit, ac debeat: Non tamen præcisè actu extensum sit, nisi naturæ spectato processu. Virtute supernaturali & præter naturam abesse hunc actum â quanto posse ex analogiâ gravium, levium, calidorum, frigidorum, &c. evinci posse.* Dixeris: *Ita relinqui corpus non re & actu, sed potestate: quantum similiter potentiâ, actu non qvantum fore, quia actu non extensum. Regerent: Non sequi. Corpus materiatum est & actu potestate. Sed quantum* actu extensum esse non putabunt sequi: *sufficere, extensivum esse. In hoc Tё extensum esse ad quantum esse diversam rationem, ac quanti ad materiatum, materiati ad corpus esse. Corpus & materiatum esse substantias dicunt. Quantum complexè s. concretè substantiam, abstractè accidens. Quantitas enim in accidentibus secundùm communem sententiam est. Hoc accidens etiam definiendi rationem sortiri queat, ac cætera, quæ in substantiis. Vt formale ejus in potestate definitum intelligatur, extensum esse, i. e. extensivum esse, quomodo in plerisq; accidentium definitionibus magis potestates, quàm actus intelligimus,* Conf. §. 2. *Non præcisè actu, quanquam naturaliter eum consequi non negetur.* Supernaturaliter *tamen inhiberi posse simùl fateri Christianum deceat.* Philosophorum potiores *ipsas quantitates à corporibus divinitùs separari posse disputant, salvis corporum substantiis, ut & partes maneant, & situ in ipso corpore separatæ maneant.* V. Suaretzium d. 7. Meaph. f. 2. n. 22. & d. 40. f. 4.

n. 11. 17. seq. Valentiam T. 1. d. 4. q. 3. p. 2. Fonsecam 7. Metaph. c. 1. q. 2. s. 1. Scheiblerum 2. Metaph. c. 7. n. 36. 37. & intro. Log. c. 7. n. 5. Calovium c. 8. Metaph. §. 6. Wegerum in l. Categor. q. 11. 12. *Si sic est, & quantitas à DEO à corpore separari potest, multò magis locus & actualis extensio separari poterit. Quantitas n. interior materiato, quàm actus quanti, aut localis occupatio.*

XXVII. 2. Esto verò, & quantum faciat actualiter extensum, *& hoc simpliciter à quanto removeri non possit: ac quæ hactenùs dicta, disputandi magis animo, quàm sentiendi, dicta sint: Non tamen* ab extenso esse ad locatum esse *statim inferri debet. Quod quantum est, in se magnum, extensum, & locari aptum est. Alicubi esse tenetur: Locum occupare non tenetur. Hoc* actus quidam & functio magnitudinem cœteris paribus consequens est. *Actus autem à multis rebus abesse possunt, ut §. 25. dictum. Et diversa esse alicubi esse & in loco esse §. 36. 42. 43. patebit. Multa corpora sunt, quæ quanta & magna, actu tamen in loco non sunt, ut* supra *dictum, §. 6. 7. Extensio alia est* in totum *& essentialis, ut partes extra partes res habeat, hæc quanto essentialis & inseparabilis ab eo erit, dicíq; potest extensio essentiæ in quanto; & ordinem, habitudinem ac potentiam ad circumscriptionem in loco facit:* alia est ad locum & localis, *ut partes commensurationem non solùm inter se, sed & ad aliud contiguum unà existens & ambiens, quod locus dicitur, habeant. Hæc extensio præsentiæ s. adessentiæ vocetur, & actualem circumscriptionem in loco ponit. Hæc accidentalis & separabilis est, & posterius quid extensione in totum.* Prius enim res extensa in totum & magna est, partesq; extra partes habet absolutè in sese, per quod apta occupare locum est, si cœtera paria accedant: posterius ad locum extenditur, eumq; replet,

replet, & partes extra partes habet respectivè in ordine ad spatium, quod occupat. *Sic si DEus lapidem extra mundum creet, quantus erit & extensus absolutè secundùm partes in ordine ad esse & subjectum: non autem respectivè in ordine ad locum, quem occupet, Hic enim extra mundum nullus est Hoc posterius & consequens quid est. Prius autem sine posteriori esse, & h. à priori separari potest, nisi transcendentale quid, aut divisionem subjectarum specierum contineat, quale non est locum occupare, vel eo ambiri quantum: sed accidens saltem aliquod, quod naturaliter quantum consequatur, si cætera contigua & ambientia corpora adsint. Si hæc absint, etiam illud abesse possit, prout de facto à quibusdam quantis abesse §. 6. 7. ostensum. Per accidentalia autem non res debet in essentialibus poni. Vt si dicam: Corpus naturale est in loco, quod extrinsecum & circumstantiale quid, dum partes extra partes habet intrinsecè & essentialiter. Hæc non est formalis ratio illius, sed absolutum quid & essentiale in quanto, etiamsi nullus locus unquam accederet. Non statim si materia partes extra partes habet, est actu localiter extensa, hoc enim ultra partes addit ubicationes partium in diversis locis, quod â quantitate non provenit formaliter, sed saltem radicaliter, ut verba* Arriagæ d 5. Metap. n. 21. sunt. *Non effectus formalis quantitatis est, extensionem actualem ad locum dare, sed aptitudinalem, & extensionem partium in ordine ad locum secundùm molem occupari habilem facere, ut* Wegerus c. l. q. 12. n. 2. *loquitur.* Transcendentalia *sunt modi & attributa rerum res essentialiter consequentia, ut unum, verum, bonum, perfectum esse, durare, alicubi esse. Hæc â rebus inseparabilia.* Divisiones *sunt, ut par & impar in numero, rationale & bestiale in animali, leve aut grave in corpore elementari, &c. Hæc etiam â subjectis suis, quorum divisiones sunt, insepa-*

separabilia. Sic non potest separari quaternarius à modo suo, 4. unitatibus, unde aggregatur, ut existat per modum unitatis, quod Martyr in libr. c. Gardinerum *objicit, quia vel ipsa essentia quaternarij in eo est, vel modus quidam transcendentalis essentiæ intimè inclusus, eamq; consequens: benè tamen* modus accidentarius *ab eo tolli potest, h. e. ut in quatuor locis sit, & redigatur ad unum locum. Sic 4. homines* 1. *homo fieri nequeunt, hic enim modus transcendentalis est:* unius tamen locum occupare *possunt, hoc enim accidentarius modus. Sic nequit linea vel corpus à modo suo essentiali separari, ut in se fiat indivisibile: benè tamen ab accidentali, ut locum indivisibilem occupet. Locus autem inter accidentalia & externa corpori est, non essentialia & interna.*

XXVIII. Dices 4. Si quantum habet dimensionem & partes extra partes, *E. ubi est una, ibi non est alia. Et sic diversa spatia à se distincta occupant, quibus commensurentur. Ubi enim & ibi, spatiorum & locorum sunt vocabula. E. & ipsum quantum spatium actu occupare op[...], secus partes distinctis spatijs separatæ non essent. E. quant[...]m eoipso, quo quantum est, in spatio & sic in loco esse oportet. R. Quantum habet partes extra partes* absolutè in sese, & respiciendo subjectum ipsum quantum, *in quo una pars entitativè non est alia, sed ab eâ separata: non autem semper* respectivè & respiciendo locum, *in quo distinctæ sint, ut hæc pars hunc locum, illa illum occupet. Hoc à quanto abesse potest. Sic si ultra mundum DEus corpus in vacuo locet, partem extra partem habebit entitativè & ratione esse, etsi* non ratione loci & adesse, *quia loco non continetur, cum omnia vacua esse præsupponantur. Sic si DEus annihilet aërem conclavis cujusdam, homines in eo existentes partes extra partes essentialiter habebunt, colla ipsorum & capita distabunt à ventribus,*

manus

manus à pedibus, etsi localiter non habituri sint, cum locus in illis ampliùs non sit, cum terminus ambiens non adsit. Ubi & ibi apud Philosophos non semper loci sunt vocacula, *sed & situs, positionis, distantiæ, &c. quæ & in vacuo esse possunt, in quo verus locus nullus est, sed πȣ̃ aliquod & locus saltem imaginarius.* V. §. 29. 48. *Et dimensio partem extra partem absolutè ponit, non statim cum commensuratione ad locum realem & externum.* 5. Si quantum partes extra partes habet in ordine ad subjectum, *E. & in ordine ad locum. Pars enim in illo certæ parti loci coëxistit, & alia illi non coëxistit, sed separata est. E. ordine loci partes illæ sunt distinctæ, & consequenter quantum etjam loco commensuratum in partibus est, & sic in loco est.* R. Falsum, *Partes illas separatas esse in ordine loci, sic enim coëxistunt omnes, cum locus nullus adesse præsupponatur. E. nec distinctio illarum ratione loci admitti potest. Subjecti & essentiæ ratione distinguuntur & distinctæ manent: loci non, quippe qui nullus est.* Nec sequitur: *Si loci ordine coëxistunt, E. & essentiæ, & sic quanti essentia confunditur & evertitur. Nam* à re absolutè & in ordine ad esse suum ac partes ratione esse sui spectatas ad rem in ordine ad aliud externum, ut locum, partesq; ratione istius commensuratas spectatam, non est consequentia. *Potest teneri esse rei, & quæ ei absolutè competunt, ut externa, quæ consequi deberent, sint remota.* Deinde aliud est, *in loco esse, aliud alicubi vel in spatio qualicunq́, etiam imaginario esse. Hoc transcendens & omni enti conveniens est: illud accidens & ex externo circumdante in corpore sumptum est. Omne corpus alicubi est, non nullibi, & in spatio quodam suo est. Ita partes ejus designabuntur in ordine ad spatium, licet hoc etiam imaginarium tantùm sit: Non statim omne in loco est, nec in ordine ad locum occupatum partes distinctè designare semper necesse est.*

XXIX. 6. Substantia nequit existere nisi substantialiter. *E. nec quantum, nisi quantitativè, i.e. extensivè & occupativè. E. locum occupare de facto tenetur. R. Substantia* non existit nisi substantialiter, *i.e. modo suo substantiali intrinseco & inseparabili, qui est,* per se subsistere, seu non inhærere instar accidentis: *Ita & quantum quantitativè h.e. modo suo intrinseco, qui est* vel *impenetrabile cum alio ejusdem speciei esse, ut quidam volunt,* vel extensum ad totum & partes esse, *hasq. entitativè separatas in mole habere. Sed inde non sequitur extensio ad locum statim, & partes separatas ratione loci habere. Hoc non est modus quanto, quà quantum est, essentialis & intrinsecus, sed modus aliquis ex externo circumscribente simùl posito in quanto exsurgens, qui abesse potest. Vt substantia sine loco existere potest, quia hic modus externus & saltem accidentarius in eâ est: sic quantum similiter, quia & huic locus est accidentalis & externus quid ex contiguitate alterius corporis ambientis resultans. Extrinseca autem separari possunt, salvis intrinsecis.* 7. Non potest spiritus divisibiliter & extensivè existere, *ut partes habeat. E. nec corpus indivisibiliter, ut partes extensas non habeat. E. locum, in quo illæ extendantur, habeat oportet. R. Non potest corpus partes extensas* sc. entitativè & ratione ipsius subjecti quanti non habere: *benè locativè & in ratione alius externi continentis. Hoc posterius separari potest, tanquam effectus à causâ cæteris paribus existentibus resultans; manente priori, ut causâ sine effectu, quem de se funderet, si cætera paria existerent. Potest prius existere sine posteriori, & causa sine effectu: sed non posterius sine priori, & effectus sine causâ.* Extendi in loco est effectus aliquis ex extenso in esse consequens. *Ideò potest aliquid extendi in loco, quia extensum in se est: non autem contrà; Ideò quid extensum in se, quia*

in lo-

in loco extensum. Illud est causa hujus, sed non hoc illius. Ita corpus in se & ratione esse extensum potest non extendi in loco, hic enim separatur causa ab effectu: non potest spiritus in se indivisibilis extendi in loco, hic enim effectus poneretur sine causâ. Extendi loco est effectus, Extendi essentiâ, causa. Non potest illud poni, nisi ponatur hoc, quia causa. Benè tamen hoc, non posito illo, quia tantùm effectus ex hoc consequens, si cœtera paria sint, est, *Qui inhiberi potest, ne à causâ promanet.*

XXX. 8. Partes corporis quanti necessariò distant inter se, non confunduntur. *Sed quæ distant, ratione loci distare dicuntur. E. quantum in loco esse oportet.* R. Minor falsa. *Et in corporibus in vacuo positis est distantia, in quibus locatio non, quæ in vacuo esse nequit.* V. f.3. §.18. 19. Distantia alia est partium in se & entitativè sumptarum, *hæc in quolibet quanto:* alia earum in ordine ad locum *spectatarum, hæc abesse potest, si quantum ipsum in loco non sit. Ea distare etiam dicuntur, inter quæ plura interjecta sunt, adeoq; disjuncta sunt, non præcisè spatiis & intervallis, (nisi imaginariis fortè,* V. §. 27.) *sed particulis & membris. Ita in homine supra mundum in vacuo ubicato distantia capitis à pedibus fuerit, etsi ratione loci ea æstimari non possit, qui nullus extra mundum est.* 9. Omne quantum est figurâ terminatum. *Omne terminatum extra terminos suos protendi nequit, & sic locum adæquatum requirit, intra quem terminetur.* R. Om. quantum figurâ scil. suæ essentiæ & partium terminatur, *non statim commensuratione partium ad externum circumscribens, quod est locus. Sic si quantum in vacuo ponatur, terminum figuræ in essentiâ & partibus terminatæ habebit, in loco commensuratum non habebit, quia in vacuo nullus. Sic supremum mundi corpus globosæ figuræ est, eaq; terminatur. Exter-*

num ambiens & locum propterea non habet. Nec si extra terminos figuræ suæ extendi nequit, statim locum *requirit. Terminationem illam* à propriâ partium in ipso quanto dispositione & symmetriâ *habet, quæ non statim locus.* V. §. 45. 10. Omne corpus habet situm. *Vel enim est supernè, vel infernè, vel medie. Sed situs sine loco esse nequit, dicit enim dispositionem aliquam partium in ordine ad locum in corpore resultantem. E. & omne corpus locum requirit. R. Situs* vel notat ordinem partium ad totum *& inter se, ut partes extra partes in toto sint, sic omne corpus habet situm: Vel ordinem partium* ad aliud externum spatium circumscribens, *quomodo superum, inferum, dextrum, sinistrum, anterius, posterius, stare, sedere, cubare, &c. situs interdum dicuntur, sic falsum, omne corpus habere situm. Globosum, ut sit, & ex suâ naturâ nec superum nec inferum habet, nec dextrum nec sinistrum, in quo partes naturâ sui situatæ esse dicerentur, nec stat, nec sedet, nec cubat. Si horum aliquid interdum de eo dicatur, per respectum ad aliud externum dicitur, cujus ratione quædam partes superæ, aut inferæ dicuntur. Sic in Cœlo ex naturâ sui nullum superum, inferum, dextrum, aut sinistrum, sed ratione nostri & hæmisphærij, quod incolimus, quandam partem supra nos esse dicimus, quandam infra nos.* Vid. Scalig. ex. 67. *Idem in mundo est.* V. Alstedium c. 4. Cosmogr. §. 2. *In animalibus primò datur situs: analogicè in inanimatis: æquivocè in cœlestibus.* Conf: Suaretzium d. 52. f. 2 n. 3. D. J. Mart. l. 2. d. loc. c. 2. 4. Falsum & illud, *situm sine loco esse non posse. Sine ubi & respectu ad illud esse nequit, & sic omne corpus alicubi est, quia non est nullibi, quod largimur. Unde situm accidens ordinem partium corporis ad ubi dicens definiunt. Vel, situs est* ordinatio partium in toto sub certâ habitudine ad se invicem & ad totum, ut Scharfius

l. 1. inst.

k. r. inst. Log. tr. 3. c. 7. *definit. Quomodo & illi ipsi, qui loci voce hic utuntur, ubi tamen intelligunt.* V. Suaretz. c. l. s. 1. n: 7. 8. 9. *Quod & quidam Reformatorum agnoscunt, ut* Steinius l. 1. Grec. trium. c. 5. & 13. *Non statim, si quid situatur, collocatur, ut* Keckerm. *infert. Multa situantur in aliquo, non ut in loco, sed ut partes in toto. Homo à DEO extra mundum statutus erectus situari poterit, & ordinem partium ad totum suum habebit, in loco statim non erit, extra mundum enim loca non dantur. Vide* §. 10. 27. *In vacuo situs esse potest: locus non potest, quia terminus circumscribens.* Conf. §. 10. 47.

XXXI. II: Si quantum sine loco esse potest, *& sine tempore esse poterit. Par enim horum ratio, & utrumq́; corpus circumstat, locus in alicubitate, tempus in duratione. Sed nequit extra tempus esse, non enim existere potest, nisi sub ratione præsentis, vel præteriti, vel futuri, quæ sunt differentiæ temporis. E. nec sine loco esse potest. R.* 1. In majore non est par ratio. *Multa in loco non sunt, quæ in tempore sunt, ait* Scaliger l. 9. d. Cau. L. L. c. 158. *Qualitates, relationes, in loco non sunt. At in tempore. Scriptio in loco propriè non est, sed in tempore.* 2. Vox temporis *ambigua est. Interdùm quamvis durationem notat, ut finitam & infinitam comprehendit, sic omne ens est in tempore: Interdum durationem finitam, sic angeli sunt in tempore: interdum mensuram durationis Physicæ per prius & posterius in motu numeratam. Hæc propria apud Philosophos est significatio, ut* dec. 1. Misc. d. 1. c. 8. *notatum. Si hoc modo sumatur, negamus minorem. Distinguendum autem hic inter durationem rerum naturâ defectibilium, & mensuram istius durationis in motu per prius & posterius factam. Prior tempus interdùm dicitur, sed apud Philosophos propriè tempus non est, sed duratio rei corruptibilis,*

qua tempore ut mensurâ mensuratur. Prius semper est in corpore, posterius non, quod propriè tempus est. Sic chaos primo die creatum etsi durationem defectibilem habuerit, in tempore tamen non fuit, quia nondum motus aliquis, quo ut mensurâ duratio illa mensurari potuerit. Ante motum autem reale tempus dari non potest, Est enim hoc numerus motus discretè per prius & posterius numeratus, ut c. l. t. 12 seq. *palàm factum. Sic si DEus ultra mundum hominem crearet, & ultra omnem motum elevaret, sub tempore non esset, cum duratio ejus motui cœli aut sublunarium, unde tempus metimur, non subjaceret, sed ævo per analogiam responderet. Verum tamen corpus quantum esset. Sic caro Christi jam ad dextram DEI super omnia, quæ nominari possunt in hoc orbe, evecta, tempori ampliùs non subjacet, non enim durationem rei naturâ defectibilis habet, cum naturam glorificatam habeat, quæ desinere ampliùs non possit.* Rom. 6. v. 9. *Verum tamen corpus & quantum quid est. Cœlum, quia naturâ indefectibile, durationem ævo magis analogam, quàm tempori, habet. Corpus tamen & quantum. Corpora glorificata in futurâ vitâ extra tempus sunt, quia naturas indefectibiles sortita, ævo continentur, quod rerum naturâ indefectibilium mensura durationis est. Vera tamen corpora, & quantitate prædita.*

XXII. 12. Quidquid essentiæ suæ terminis est circumscriptum, in loco est, saltem interno, si non externo. *Continetur enim finibus essendi, quos non transgreditur, atq; ita circumscribitur. Omne quantum essentiæ finibus est terminatum. E. & circumscriptum, & sic in loco.* R. Major si de vero loco intelligatur, falsissima est. *Locus internus æquivocè dictus locus est.* V. §. 45. *Quidquid essentiæ terminis est circumscriptum, finitum & determinatum illis est, non ut loco, Sed ut essentiali finitudine,* & modo transcendentali finitæ essen-

essentiæ intimè incluso, & ab eâ inseparabili. *Circumscriptio loci inter externa est, quà aliquid definitis terminis corporis continentis circumscribitur. Hæc si de aptitudine intelligatur, quâ aliquid naturâ sui circumscribi amat & potest, est corpori quanto, ut sic, essentialis à posteriori, tanquam aliquid quantitatem & extensionem ejus naturaliter consequens, & nulli corpori denegari potest: si de actu, prout jam intelligi debet, externa & accidentalis corpori planè est, non ei, quà corpus est, conveniens, sed quà alteri contiguum est, à quo cingi & ambiri potest.* V. §. 15. *Vbi illa contiguitas cessat, & externi ambientis ac loci ratio cessat, Vt in chao, mundo, supremo mundi corpore, quanto in vacuo ubicato, suprà patuit ut* § 6. 7. seq. Conf. §. 33. 13. Præsentia, adessentia, ubicatio esse alicubi, actus dicunt, *non potentias, quibus aliquid actu adest & ubicatur, non quibus adesse tantùm aut ubicari potest. E. & circumscriptivè alicubi esse est actu in loco esse, non in eo saltem esse posse. Est enim modus & species aliqua esse alicubi seu alicubitatis corporeorum propria. E. & corpora actu in loco esse oportet, non saltem esse posse.* R. Esse alicubi actum dicit, sed pro varietate subjectorum, quibus tribuitur. Interdum *actum merum & purum, ubi subjecta merissimi actus sunt, ut in DEO & divinis, DEus enim ab æterno non solùm ubiq; esse potuit, sed actu fuit, fuit enim immensus, & immensitatem sequitur essentialis ubiquetas; adeoq; in spatio infinito fuit: & est actus purissimus, secretâ omni potentialitate:* Interdum *non merum & potentiæ mistum, ubi subjecta aliquid potentialitatis mistum habent, ut in omnibus creatis & dependentibus rebus, quæ ex actu & potestate constant, ut ex Metaphysicis uberiùs patet. In his distinguendus est actus alicubi essendi, & in loco essendi. Alicubi esse in his etiam actum dicit, sed* Transcendentalem & essentialem,

non accidentalem *præcisè, qualis de facto in loco esse est, Vel actu secundo locum occupare, aut in uno Vbi definitivè esse. Et omnino actu secundo esse vel facere, qui in creatis semper est accidens. Hic enim tolli & inhiberi quandoq; potest à superiore agente, vel etiam naturaliter, quòd cætera parta & requisita non adsint. In DEO repletivus præsentiæ modus talis est, ut non solùm ratione actus primi talis sit, ut omnia omninò spatia replere majestate essendi queat, non autem insequatur, sed suspendatur actus secundus, quod nemo facilè dixerit; sed & secundo & ipsissimo actu omnia spatia ante mundum, in mundo, extra ultraq; mundum infinitè repleat, nec possit non replere.* *Sed in* creatis rebus alicubitas habitudinem & ordinem naturalem ad *taliter vel taliter adessendum, v. g definitivè, circumscriptivè, dicit: quo minùs tamen actu secundo creatum vel statim, vel semper ita adsit, variè impediri potest. Sic angelus ex naturâ sui in uno spatio esse vult, quod sibi designat citra occupationem. Sed actum secundum DEus inhibere potest, & in multis spatiis simùl locare,* V. t 119. *Manet habitudo naturalis ad unum spatium designandum. Actus secundus designandi sublatus est.* V. f. 3. § 4. 5. 9. *Similiter* circumscriptiva ubietas per essentialem ordinem & habitudinem ad spatium occupativum est definienda, quæ semper in corpore manet, & ab eo inseparabilis est, ac nomine actus primi hic intelligitur: *Sed* actus secundus, quo de facto tale spatium termini continentis occupetur. quandoq; à corpore abesse potest, ut suprà exemplis supremi mundi Corporis, & aliis patuit. *Ergò adesse, alicubi esse, in loco esse, actum designat,* sed pro rerum naturâ, vel primum, *qui essentialem habitudinem in re ad secundum dicit nisi quid impediens intercurrat, ut in creatis:* vel & primum & secundum, *ut in divinis, ubi nullum impedimentum.*

tum, quod eum suspendat, intervenire potest, & res ipsa merissimus actus est.

XXXIII. 14. In rebus, in quibus actus & potentia realiter non differunt, sed tota essentia in actu & functione consistit, non potest inter actum & potentiam distingui, *sed idem sunt. Sic lumen esse & lucere, vivum vel vitum esse & vivere, sonum & sonare, motum esse & movere. In his effectio pendet ab ipsâ rerum essentiâ, eaq; sine hac effectione consistere non potest. Sed ita etjam se habet localitas rei finitæ, est enim locus cujusvis rei* finis substantiæ, ut Bernhardus Serm. 51. definit. *Res autem finita per suam substantiam sine alieno auxilio in sese semper est finita. E. & locata actu, non saltem potestate. Et sic finitum actu locum occupat. Ita cum* Chamiero Wasius axiom. Philos. §. 28. R. 1. Aliud localitas, aliud locatio. *Hæc tota in actu secundo est, & sine eo nihil est. Hic inter potentiam & actum distingui non datur. Localitas est ad locandum habilitas. Hæc potentiale quid, & ab actu in corpore quandoq; separatam supra exemplis ostensum. Hujus cum vivere, sonare, lucere, movere, negamus eandem esse rationem. Illa veri actus, vel substantiales, ut vivere, vel accidentales, ut sonare, movere, lucere, sunt.* Locari magis passivum quid est, quàm actus. *Et localitas ita est actus, ut interdum & notet potentiam. Ita tempore mensurari passivum quid est, & τῷ esse in tempore notatur: non activum, ut temporalitas hinc cum actibus in corpore contendenda veniat.* 2. Ut in illis actus notantur, *sed interdum primi, non secundi, ut in vita seu vivere, quod actus* primus seu substantialis, quippe viventium esse est, ut dec. 2. misc. d. 9. t. 9. *ostendi, non secundus, accidentalis & operatio quædam, quæ interdum vitæ nomine etjam dicuntur.* Aristot. 2. d. anim. c. 1. t. 3. *Sic in locali esse actus notari pot-*

 est,

est, sed primus & principium quoddam ad secundum, si cætera paria sint, non præcisè & adæquatè secundus, quanquam sæpè vocem etjam pro hoc sumi non diffitemur. V. §. 32. 3. Definitio *loci aliena est, nisi de fine, i.e. termino extrà continente intelligatur. Habet quævis substantia terminos essentiæ suæ ex essentiali finitudine ipsi competentes, quos transgredi non potest.* Sed isti fines sunt modi transcendentales essentiis rerum finitarum intimè inclusi, quas finitas faciunt, & ad Metaphysicam pertinent: non loca aut locationes, *vel causæ, quibus præcisè aliquid in loco constituatur, quod Physicum quid, & ad Physicam pertinet, quarum disciplinarum fines invicem non sunt confundendi. Confer.* §. 31. 46. *Benè* Pelargus disp. d. ascens. t. 167. Circumscriptio, quæ fit propriis terminis, non est accidens, sed modus creaturæ essentialis, *quo sublato res tollitur, cujus est modus.*

XXXV. 15. Si quædam corpora naturalia tantùm actu primo sunt in loco, non secundo, *E. præternaturaliter & contranaturaliter erunt constituta, & sic violentè. Naturâ enim sui poscent circumscribi, quod ob termini circumscribentis defectum ipsis negatur. At sic non consistent, Violenta enim non sunt diuturna. Et evertetur eorum natura, quæ contrà ex inclinatione sui est. R.* Præternaturale, ut sic, latius est violento. *Aliquid est præternaturale* vel privativè tantùm, *ut tollat, quod aliàs adesset, hoc non statim violentum. Sic senectus & marcor naturalia, non violenta: mors marcore subjectum tollens naturalis dicitur, non violenta. Aqua in nubibus detenta præternaturaliter superiùs tenetur, cum deorsùm tendere velit ob gravitatem, non tamen violentè esse ibi dicitur:* Vel positivè, *ut præter privationem aliquid naturæ hostile inferat, quod eam impugnet, & de statu suo deturbet, aut penitùs evertat. Hoc propriè violentum dicitur. Sic* mor-

morbus corpori sano violentus, quia non tantùm vigorem membrorum tollit, sed & intemperiem & complexionem contrariam naturæ nocivam importat. Quod hoc modo præternaturale, non est diuturnum. Benè, quod priori. Sic terra & aqua in suis locis actu non gravitant, ut Philosophi statuunt, & aliquid, quod aliàs illis competeret, si extra propria loca essent, est separatum ab illis, actu descendere, benè tamen durant. Idem de corporibus extra contiguitatem aliorum ambientium, quibus circumscribi & sic actu in loco esse queant, positis sentiendum. Non contra Naturam eorum id est, actu non circumscribi, non n. eam evertit: Sed præter & ultrà, ac interdum supra, ut in corpore Christi fatemur. Deinde & illa consequentia non valet: *Quod aliquid non habet, quorsum naturalem propensionem aliàs habet, illud est præternaturaliter constitutum. Ubi aliquid ipsam* internam propensionem *non habet, sed eâ destitutum est, tùm demùm præternaturaliter est constitutum, Non autem si extrinseco aliquo destituatur, quale in nostro casu est terminus extrinsecus ambiens, qui locus Philosophis dicitur. Intrinseca* habitudo ad locum *semper in corpore manet, etsi actualis locatio non maneat.* Deniq; *etiam extrinseco destitui dupliciter dicitur.* Vel, ut possit illud quidem habere, non tamen debeat. *Sic corporibus glorificatis quà talia sunt, non debetur locus, etsi eum admittere possint. Hoc modo si res aliquid externum non habeat, non statim præternaturaliter erit constituta, quia non debet illud habere. Sic in præsenti corpus extra contiguitatem aliorum positum terminum circumscribentem externum non debet habere, ex contiguitate enim corporum ille proficiscitur, & sic, si eo careat, præternaturaliter constitutum dici non debet. Sic mundus extra terminum ambientem, non tamen præternaturaliter constitutus, quia illi non debetur talis terminus:* Vel ut possit & debeat in legitimâ

constitutione illud habere. *Sic eo destitutum præternaturaliter constitutum dicetur. Sic corpus in aquâ, aëre, &c. detentum præternaturaliter esset constitutum, nisi termino aquæ aut aëris ambiretur, in quo contineatur.*

XXXV. 16. Imperitè dicitur, quantum esse aptum ad replendum locum, non actu replere. *Nam aptitudo separatur ab actu. Vt avis apta ad volandum, quæ actu non volat. Sed nullum corpus ita aptum ad implendum locum, ut actu interdum non impleat, cum actu, quamprimùm existit, reverâ locum impleat.* R. Locum implere vel intelligitur de spatio & ubi quantitati *corporis proportionato, Ita corpus ubi est, naturaliter occupativè est, & spatium suum implet, nisi supernaturaliter impediatur. Sed hoc spatium non statim est locus, sed ubi aliquod, quod in vacuo & imaginario fictoq; esse potest, in quo locus esse non potest, ut* §. 50. *patebit: Ita corpus ubicatum alicubi, non statim propriè loquendo locatur, ubicari enim latius, quàm locari.* V. §. 27. Vel de spatio termini continentis & circumscribentis, *quod propriè locus est, sic falsum, corpus ubi sit, statim actu locum replere, cum talia loca actu omnibus corporibus non dentur, ut supra* §. 6. 7. *dictum. Hic potentia essendi in vero loco omninò separatur ab actu essendi in illo. Et est aliquod verum corpus, quod in loco verè dicto de facto non est, tametsi alicubi sit, quod longè latius est, quàm in loco esse, ut transcendentale aliquid, enti, in quantum ens est, conveniens, naturali latius est, quod Corpori, in quantum corpus naturale est, & quidem* κινητὸν, αἰσθητὸν, φθαρτὸν, *sublunare, subcœleste, mobile, sensile, ut* Aristoteles *loquitur, competens. Terminos autem transcendentales & Metaphysicos cum naturalibus & ad specialia entium genera constrictis imperitè confundi accurati nôrunt Philosophi, qui meriti sunt subtiliorum disceptationum non oscitantes esse contemplatores.* V. §. 33.

XXXVI.

XXXVI. 17. Quicquid est alicubi necessariò, & in loco necessariò est, *τὸ πȣ enim idem ac locus est, & connectuntur ab Aristotele, ac promiscuè usurpantur.* 4. Phys. c. 1. t. 1. 2. & 5. & c. 5. t. 45. *Omne finitum necessariò est alicubi. E. & necessariò in loco.* R. Major confundit locum generalissimè & æquivocè dictum *cum loco propriè & physicè dicto, de quo hic est quæstio. Quidquid alicubi est, in loco est, si locum generalissimè sumas, pro spatio qualicunq́, ubi aliquid est. Sic cum ipso alicubi esse recurrit, quod generalissimum omnis entis modum esse* §. 1. concessimus. Sic *ubi ac locus pro iisdem sumentur, Et sic etjam angeli in loco esse dicuntur, item animæ rationales.* V. §. 42. 43 *quæ tamen aliàs accuratè in ubi esse dicuntur, non loco, qui corporum proprius dicitur.* Quòd si ita ludere in vocibus placet, quasvis distinctarum rerum voces confundere licebit, & unius appellationes alteri assignare. *Cujus apud Philosophos potiùs contrarium est occupandum, & distinctæ res distinctis vocibus sunt efferendæ, quando suppetunt. Distinctionis enim Magister Philosophus esse debet, non confusionis. Vt in* durationibus rerum assignandis *distinctis vocibus pro distinctis rebus utimur, & divinis æternitatem, angelicis & spiritualibus ævum, materialibus & corruptibilibus tempus assignamus: Ita similiter in ubietatibus rerum procedere fas est, & distinctas ubietatis species distinctis rebus assignare, non invicem confundere decet. Sic divinis ubiquetatem, spiritualibus finitis ubietatem terminabilem definitivam, materialibus circumscriptivam & localem assignamus. Hæc propriè in loco esse dicuntur. Hæc distinguenda pro diversis rerum rationibus, non commiscenda.* V. §. 41. Generalissimis loci significationibus nihil contra Nos concluditur, *qui talia loca rebus omnibus competere non negamus, Cum in loco esse idem ac alicubi esse intelligitur. Quomodo*

modo Aristoteli interdum generaliter usurpantur. Vbi tamen ad proprias rerum definitiones venit, distinguere ea omninò novit, negatq́, qualecunq́ spatium statim locum esse, Vt l. 4. Phys. c 4. t. 30. 35. 37. 39. c. 5. t. 43. *Qualis iste locus generalis erit, tale & esse in loco erit. Sed ille intellectualis, ut* Damascenus l. 1. d. ort. fid. c. 12. *vocat, ubi angelos intelligibiliter circumscribi alicubi, nec nusquam esse, ait. Metaphysicus, æquivocus, fictus, improprius locus erit. Tale ergò & esse in loco, de quo inter nos non contentio.* Conf. §. 20. 22. *Et de logomachiis tandem litigium erit, cum à finitate rei statim ad locum proceditur i. e. alicubitatem determinatam. Quam & hoc & aliis argumentis infert* Chamier T. 2. l 6. c. 5. 6. 7. *Quæ ex hactenus dictis facilem habebunt resolutionem, ut sigillatim omnia resolvere opus non videatur.*

XXXVII. 18. Superficies est propria affectio corporis. Sed locus est superficies secundùm Aristotelem. E. & hic propria corporis affectio. R. 1. Major non est generalis. *Addito enim, Om. superficies e. p. a. c. & subsumpto, omne rectangulum æquicrurium est superficies, sequetur: E. omne rectangulum æquicrurium est propria affectio corporis, quod absurdissimum, cum multæ sint corporum superficies, quæ non rectangulæ æquicruria.* 2. Major sic est limitanda. *Superficies scilicet ipsius corporis quanti contenti & interna corpori in se est propria affectio corporis. Sed locus non est interna corporis superficies, sed externa, corporis ambientis & circumjecti.* 3. Distinguenda minor est. *Locus est superficies corporis ex materiali suo, ambiente corpore, ex quo sumitur, ut aëris, aquæ, &c. Ex formali suo* termin⁹ ambiens *est, non superficies in genere, sed cum certo modo, superficies proximè corpus terminans, & extrinsecùs circumscribens est. Ita rectangulum æquicrurium materialiter est superficies: formaliter talis & talis su-*

tis superficies, ad certum modum & speciem determinata. Dices: Ergò tamen superficies ita determinata est *propria affectio corporis. At hæc locus est. Et tamen habetur intentum.* R. 1. Nonsequitur, ab eo, *quod generi competit, statim ad omnes subjectas species inferre. Nam genus latiùs patet speciebus. Sic ab eo, quod animali competit, indifferens ad rationale & bestiale esse, non procedendum ad idem etiam rationali inferendum.* 2. A genere *æquivoco non procedendum ad species. Genus, superficies, hîc est* æquivocum. *Sumitur vel de internâ ipsius corporis superficie, hæc proprium corporis, sed locus non est: vel externâ corporis circumscribentis, hæc propriè locus, sed non propria affectio corporis. Multa enim illâ caruerunt, ut* c.6.7. *ostensum.* 19. Si totum quantum non occupat locum, *E. nec partes occupabunt. At sic se non expellent mutuò, sed omnes erunt confusæ & absq; ullâ analogiâ. Sic totum in toto & totum in qualibet parte erit. Quod est naturam totius quanti evertere. E. maximè locum occupare tenetur. R Partes se mutuò expellere ambiguè dicitur.* Vel in ordine ad locum, *ut una distinctum ab alterâ locum occupet; Hoc non necessarium in quanto, nec quanti naturam destruit:* vel in ordine ad totum & inter se, *ut una extra alteram ratione esse sui sita sit. Hoc de essentiâ quanti est, & in omni quanto, etiam remotâ ratione loci, manet. Et sic totum non cum partibus confunditur, sed ratione situs ad sese & ad totum semper distincta manent, etsi ratione loci coexistere possint, qui extrinsecum ambiens quid.* V. §. 27. 29. 48.

XXXIIX. 20. Patres, Scholastici & Philosophi idem docent, *omne finitum & quantum in loco esse. Ex Patribus* Cyrillus: *Si DEus corpus esset, & in loco omninò, & magnitudine, & quantitate esset: & si quantum factum esset, non effugeret circumscriptionem.* Augustinus: *Spatia locorum tolle*

corpo-

corporibus, & nusquam erunt: Et quia nusquam erunt, nec erunt. Similia aliis in locis. Idem & Fulgentius, Vigilius, aliiq; *habent.* V. Chamier. c.l.c. 6. §. 3. 7. 8. Ex Scholasticis Lombardus l.1. dist. 37. f. 9. Omne corpus omni modo locale est: *Spiritus verò creatus quodammodò non. Localis est, quia definitione loci terminatur, quoniam cum alicubi præsens sit, totus alibi non invenitur. Non autem ita localis est, ut dimensionem capiens distantiam in loco faciat. Ex* Philosophis Aristoteles 4. Phys. t. 77. *corpori quanto sive magno deberi locum, quatenùs magnum est, asserit.* Conimbricenses in 4. Phys. q 4. d. loco a. 1. (*Falsò apud* Chamierum 5. Phys. q. 3. a. 1. *notatus est, & fortè typorum incuria est,*) *Ratio, quâ fit, ut corpora se mutuò expellant, petenda ab eo, quod occupandi locum certumq; in ipso situm habendi causa est.* Hoc quantitas trifariàm dimensa est, cujus beneficio res materiâ præditæ extensionem alterius corporis expultricem sortiuntur. Pererius proëm. l. 11. d. prin. nat. *Res naturales, præsertim caducæ & mortales, statim atq; habent quantitatem, necessariò locum aliquem occupant.* R. 1. Patres sunt lumina, non numina, V. dec. 2. d. 4. t. 23. Uti licet eorum testimoniis, non niti: tanquam ornamentis, non firmamentis, ut *loquitur ex* Reformatis Alstedius l. 9. Log. harm. c. 7. Sæpè *diversi sunt, & patres patribus opponi possunt.* Sæpè *unus Pater de aliquâ re diversis in locis variat.* Sæpè πάρεργως *& obiter extra propriam sedem de re loquuntur, ut cùm* Bernhardus *locum finem substantiæ cujusq; rei definit,* V. §. 33. 46. Sæpè *de corpore sublunari & corruptibili loquuntur, ac ordinario naturæ in sublunaribus cursu, ubi corpus in contiguitate aliorum sublunarium corporũ, ob contiguitatem fugamq; vacui loco quodã ambiri nemo dubitat:* Sæpè *locum generalissimè capiunt pro omni ubi terminabili ac spatio qualicunq;, sive verus locus sit, sive ei respondere qualitercunq; intelligatur;* Sæpè *alio sensu intelligendi veniunt, quàm quo adducuntur.*

DE ESSE ALICUBI EXERCITATIO OCTAVA.

De Loco ejusq; Ratione.

THES. XXXIX.

PAtres sanè maximam partem realem corporis Christi præsentiam in Eucharistiâ statuerunt, *ut per* singula secula *discurrendo multis ostendunt* Bellarminus toto l. 2. d. Euch. & Greg. d. Valentiâ T. 4. d. 6. q 3. p. 1. § 5. Conf. & Chemnit. in fundam. cœn. c. 10. *Hic sanè verum aliquod corpus & quantum alicubi esse statuerunt, ut de facto locum materialiter non occuparet.* Esto verò, *Patres universi etiam ita de corpore sentiant. Dicam, quod* Junius *de illis in simili pronuntiat, cum* Bellarminus *Patres nunquam omnes simùl errare dixisset: Nempe, ait ille, in rebus fundamentalibus fidei. Nam in ratiocinationibus & determinationibus aliis omnes, ut homines,* simùl errare possunt. *Iam an corpus aliquod necessariò sit in loco, magis est determinatio aliqua Physica, aut Metaphysica, quàm res fundamentalis fidei.* Postea, *cum pro DEitate Christi* Bellarm. *Patres allegaret, quòd omnes summâ consensione eam docerent: Isti ergò ait,* pessimè ex particulari concludunt universè, l. 2. animadv. in Bellarm. de Christo c. 2. §. 2. 3. T. 2. Op. p. 559. *In specie autem* Cyrillus *locum generaliter sumit, pro omni eo, ubi aliquid est, & ita quidem, ut in sublunarib. usitatè est, Quomodo corpora in his sublunarib. in contiguitate cum aliis posita non effugere circumscriptionem, sed ambiente aliquo corpore ambiri, facile concedimus. Et ex sublunaribus usitatè inductiones corporum desumuntur.* Ad naturam tamen cor-

poris in genere *extendi id non posse vel supremum mundi corpus docere potest, quod circumscriptionem alterius corporis non habet.* V. §. 12. Augustini *locus de iisdem corporibus, prout communi naturæ statu in sublunaribus & naturali modo in spatiis forinsecùs ipsa ambientibus reperiuntur, agit, quibus spatia locorum ordinariè competere nemo negat. Loquitur enim de illis, quæ locis* corporalibus continentur. Quomodo DEum aëre, animam corpore, tanquam loco contineri negat. *Sed ad universam corporis, ut sic, naturam extendi id nec posse, nec debere, quæ adjicit* Augustinus, *docent, quando & qualitates corporib. tribuit. Tolle ipsa corpora, ait, qualitatibus corporum, non erit, ubi sint. Qualitates autem ut calorem, frigus, elementaribus tribuere solemus, non cælo & cælestibus. Ita* Augustinus *corpora gloriosa aperte extra locum corporalem statuit,* l. d. cog. ver. vitæ, c. 45. *Qui liber etsi fortè* Augustini *non sit, sed Monachi cujusdam tyronis, ut* Altingus in not. ad disp. D. Behm d. cœlo q. 8. litt. m. & Crocius p. I. Conu. Prut. q. 8. p. 432. *censent*, vetusti tamen Scriptoris est, *patetq́ Antiquitatis consensus de loco, quòd non omnibus omninò corporibus simpliciter eum necessarium æstimârint, si de loco propriè dicto loquamur*: Vel Augustinus *per spatia locorum generaliter ubi aliquod terminatum intelligit, quod universis corporibus quidem competit, ut alicubi esse corpora necessum sit. Nam omni Enti competit,* f. I. §. 6. & hac sect. c. 36. Sed locus *propriè dictus id non est, sed aliquid eo latius. Hoc oppositum adjectum doceat, cum nusquam futura ait.* To nusquam esse oppositum est τῷ alicubi esse, *non præcisè in loco propriè dicto esse. Iam alicubi esse corpora omninò fatemur, sed in loco proprio omnia esse negamus.* §. 6. 7. 36.

XL. Lombardo *locale esse* generaliter *sumitur, pro alicubi terminatè esse, ut & angelos locales faciat, qui tamen*

pro-

propriè in locis non sunt, sed in πȣ & spatio qualicunq́, quod adessendo designant, in quo ita sunt, ut alicubi sint, non ubiq́. *Videatur* litt. i. l. m. Hac generalitate omne corpus, imò omne finitum, in loco esse non negamus. *Sed hoc meliùs* alicubi esse *dicitur, quàm in loco esse.* §. 44. seq. *Ita supremum cœlum in ubi esse concedunt* Conimbric. q. 2. d. loco, 4. Phys. a. 2. *quod tamen loco eximunt.* Aristotelis locus *falsò omninò allegatur. Dixit* t. 76. *Dimensionem locati à dimensione loci, si locus vacuum sit, nihil differre. Quòd si hoc ita sit,* t. 77. *pergit, & ab absurdo disputat, quid opus sit locum facere corporibus, præter cujusq́ molem & dimensionem, quam quodlibet corpus secum circumferat? Hic non ipsam magnitudinem internam esse locum ait, adeoq́ non corpori deberi locum, quà magnum est, sed quâ externâ superficie inclusum est.* Conimbricenses *quantitatem ita causam occupandi loci statuunt, ut tamen* & quoddam corpus quantum fateantur, quod in loco esse negent, ut c. l. *faciunt. Et extraordinariè ac divinitùs quosdam actus quantitatis impediri posse agnoscant, ut obsistere ingressui alterius corporis in eundem locum, commensurationem ad locum obtinere,* q. 4. a. 2. *Vnde corpus sine actuali loci occupatione esse posse, saltem divinitùs, non negabunt* Conimbricenses. *E. corpori, ut sic, statim competere actu locum occupare, non facilè pronuntiabunt.* Pererius *etsi ob quantitatem corporibus locum tribuit: simùl tamen addit, divisibile esse, passionem quantitatis et convenientem absolutè esse:* Sed occupare locum convenire in ordine ad aliud. Insinuans, *ad esse in loco & aliud quiddam accedere oportere, ut continens, quod à corporibus quibusdam abesse queat. Quomodo* c. 1. *primum cœlum à nullo contineri ait, quia nulla subsit causa, cur debeat contineri ab aliis.* Apertius c. 9. *negat Aristotelem* 4. *Physicorum de omni loco egisse, sed tan-*

tùm de Naturali corporum, quæ habeant motum rectum. Negat, *corpus ut corpus, indigere loco, à quo contineatur, alioquin omne corpus indigeret loco. Cum quod rei per se & quà tali conveniat, omni conveniat. Etsi omne à loco continere-tur, progressum in infinitum in locis & corporibus locatis fore.* Negat *cælum, ut cælum, indigere loco, cum sit perfectissimum, nec aliquo indigeat. Diversi esse generis & ordinis ab his sublunaribus, ideò pauca illi cum his esse communia. Vnde quæ* 8. Phys. *tractet* Aristoteles, *præcipuè ad res sublunares, ut quæ de materiâ, naturâ motu & loco scripta sunt, spectare. Etsi autem* Pererius *postea* §. 6. *centrum, circa quod movetur, cæli locum assignet: quomodo tamen in eo falsus & ἀφιλόσοφος sit, alibi ostendunt* Philosophi. *Cum proprietates loci, ut continere, contingere, commensurare locatum, æqualem ei esse, minimè omnium centro conveniant.* Vid Jacob. Mart. C. 2. d. 9. q. 5. Conimbric. in 4. Phys. c. 5. q. 2. a. 1. *De cæteris* humanis authoritatibus, *quæ adduci possunt, cogitetur, hominum eas esse, qui fallaces. Et in difficilioribus potiorem rationum, quàm authoritatum, rationem habendam esse.*

XLI. *Confirmata est ista definitionis in alicubi esse circumscriptivo pars,* ens materiale occupativè in spatio circumscribente esse postulare, non semper actu illud occupare. *Confirmandum jam secundum, ad alicubi circumscriptivum* Spatium circumscribens *requiri. Ad hoc probandum supponendum* 1. Circumscriptivè *alicubi esse idem esse, ac localiter alicubi esse.* 2. Definitivè *alicubi esse huic contradistinctum esse.* 3. Locationem *sine termino circumscribente dari non posse, nec localitatem sine habitudine ad terminum circumscribentem.* Iam ad probandum, *alicubi circumscriptivum spatium circumscribens requirere,* definitio loci est indaganda, *quidnam verò accurratèq́ sentiendi modo ille sit,*

& in

& in quo proprium ejus formale consistat. Variè *enim à diversis hic sentitur, nec voto vivitur uno. Priusquam ad ea deflectatur,* ambiguitas vocis loci detergenda, *nevè generalitate vocum in inaccurationis, aut tandem meras logomachias delabamur, præcavendum. Vox* Loci interdùm Oratoriè, interdum Logicè, interdum Theologicè & Metaphysicè, interdum Physicè & proprio sensu sumitur. Oratoribus *locus statum, fortunam, & æstimationem notat. Sit peiore res loco esse non potest, quàm in quo nunc sita est.* Terent. in Adelph. *Interdum spatium & tempus agendæ rei.* Terent. in Heautont. *Et cognoscendi & ignoscendi dabitur peccati locus. Interdum materiam & partem aliquam potiorem in genere Oratorio, unde explicandi & deducendi thema inprimis copia & argumentum desumi potest. Sic in genere* demonstrativo *habent loca sua personalia, ut natio, patria, familia, parentes, ingenium, ætas, educatio, & realia. In* deliberativo *loca sunt honestum & turpe, utile & inutile, necessarium & non necessarium, &c.* Logicis *locus est sedes alicujus argumenti, unde materia formandi argumenti desumi potest. Sic locus à causis, effectis, adjunctis, &c. Apud* Theologos & Metaphysicos *locus generaliter pro quocunq; rei alicujus spatio sumitur, in quo res est, quomodo & πε seu ubi & alicubi comprehendere solet, & cum eo sæpè confunditur, & angelos in loco esse vocare solent, ut communiter multi loqvuntur. Vt* Tannerus T.1. Th. Sch. d.5. q.2. dub.1. *Vbi &* Thomam, Lombardum, *(cujus verba* § 40. *sunt visa,)* Vasquium *adducit, & communem Theologorum sententiam vocat.* Becanus p.1. Th. Sch. t.3. c.1. q.5. Valentia T.1. d.4. q.3. p.1.2. Malderus p.1. in Thom. q.52. a.1. Damascenus l. 1. d. O. F. c.17. Sohnius in art. 3. A. C. T.2. Op. p 380. Chamier T. 2. l. 6. c. 5. §.3.4. 8.10. c.6. §. 1. 2. 3. Martinius p.694. Theol.

 ubi

ubi *& angelos circumscribi ex* Basilio, Athanasio, *aliisq́; annotat.* Ludov. Crocius l. 3. Theol. c. 26. §. 5. *Idem sensus apud Ramæos obtinet*, V. Ramum l. 1. Log. c. 10. & Commentatores in h. l. *Ita & circumscriptionem angelis* Damascen. c. l. & l. 2. c. 3. *tribuit. Sed quam intelligibilem vocat, non continentiæ. Hoc modo omne finitum in loco esse ajunt, & in loco esse per definitivè ac circumscriptivè in illo esse dividunt.* V. Croc. c. l. Goclenium Lex. Phil. voce localis & locus. Timplerum l. 2. Metaph. c. 5. q. 5. & l. 4. c. 4. q. 6. *Imò* omnem rem *quidam in loco esse ajunt, ne DEO quidem excepto.* Mendoza d. 14. Phys. §. 5. *Hic valde generaliter in loco esse pro alicubi esse sumitur, quomodo & ipse locus alicubi est, non enim nusquam est: sed quem tamen in loco esse verè negat* Aristoteles, V. t. 43. *Apud* Physicos strictiùs locus sumitur pro ubi corporeorum & quantorum, *quod circumscriptivorum propriè est, & eorum, quæ occupativè alicubi esse per naturam sui postulant. Sic* contra ubi distingui solet, *quod generalius est, & in definitivum ac circumscriptivum velut subjectas species dividi solet. Definitivum spiritibus relinquitur, qui in ubi sunt, non in loco: Circumscriptivum corporibus assignatur, quæ spatia suâ mole quantitatis occupare solent. His propriè* locus *attribui solet. Ita Nostri communiter distinguere solent*, V. Jac. Mart. l. 2. d. loc. c. 19. & l. 2. part. Metaph. s. 14. q. 9. Scheiblerum 2. Metaph. c. 3. n. 85. *Et angelos ac spirituales substantias non tàm in loco esse, quàm loco ratione ubi sui, in quo sunt, ut alibi non sint, coëxistere asseverant. Non quòd loco contineantur, vel locus earum sit receptaculum: sed quòd ibi sint, ubi locus est, ac inde determinationem & denominationem ejus ubi accipiant, ut quòd sint supra, non infra, ad dextram, non sinistram. Quæ de esse in loco* νοητῶς *sine spatii occupatione hic reponi solent, ut à* Tim-

Timplero & aliis, *lusus tantùm vocabulorum sunt, & contrarietatum secum pugnantium involucra, de quibus in accurato rerum scrutinio parùm laborandum.* V. §. 40. 30.

XLII Rem ipsam, in ubi esse, & in loco esse, distingui debere accuratis Philosophis, *non confundi, & rationibus & authoritatibus probari potest.* Rationibus, 1. Nulla vox generis debet confundi cum voce speciei, *si distincta pro quovis suppetant vocabula. Distinctæ enim res distinctis vocibus sunt enuntiandæ, si voces suppetant. Ideò enim inventæ & assignatæ sunt distinctæ voces, ut distinctas res iis enuntiare debeamus. Sed al. cubi esse est vox generis, in loco esse speciei, circumscriptivi alicubi esse, ut ex divisione Vbi prædicamentalis in definitivum & circumscriptivum patet. Distinctissimæ enim res sunt, alicubi esse in genere, & alicubi esse circumscriptivè & localiter. Prius in spiritibus locum habet, posterius in solis corporibus. E. non hæc invicem confundenda, & in loco esse eadem generalitate sumendum, ac in ubi esse, & locus æquè generaliter capiendus, ac vox ubi.* 2. Nulla opposita species simùl comprehendit oppositam sibi speciem. *Quia enim ei opposita est, multum ab illâ divertit & distincta est, non sub ejus ambitu comprehendi potest. Sed circumscriptivè alicubi esse, quod in loco esse debere facit,* est opposita species definitivè alicubi esse. Alicubi enim finitum in definitivum & circumscriptivum, ut oppositas species, dividitur. *Circumscriptivum a. alicubi esse locum facit, quod negare non possunt, qui generaliter & ad definitivum alicubi loci vocem extensam volunt. E. non simùl definitivum esse ?ò in loco esse comprehendit. Et consequenter spirituale alicubi esse* non debet in loco esse dici *quia oppositum ei est, si in loco esse proprio sensu capiatur, quod à* Philosopho *fieri debet: Nam de corporeis rebus id enuntiatur, quæ spiritualibus essentiis omninò sunt*

opposi-

oppositæ. Et sic per consequens nec locus propriè dictus in spiritibus locum habet, quia de oppositis rebus, corporibus, propriè hic enuntiatur. Si ad locum generalissimè *dictum recurras, jam ad ineptias vocum delaberis, ubi distincta distinctis vocibus enuntiari par est, quod non est Philosophi.* 3. Idem modus adessendi oppositis substantiis competere non potest. *Sequitur enim essentiam, cui tanquam transcendentalis aliquis modus intimè juncta est ubietas, ut* c. 1. *visum. Et sic ubi essentiæ prorsus diversæ & per differentias oppositas restrictæ sunt, & modi adessendi tales erunt. Sed modus adessendi per occupationem, qui in loco esse dici solet, est corporum proprius. E. oppositis substantiis spiritualibus competere non potest, si proprio sensu sumatur. E. nec locus propriè dictus illis competit, quia oppositæ species substantiæ sunt, substantia spiritualis & corporalis. Quemadmodum nec modus adessendi definitivus, qui spiritualium est, corporalibus naturaliter potest competere. Ut deviat hic quidem* Timplerus l. 4. Metaph. c. 4. *Cum quo & facit* Masius q. 6. in l. 4. Phys. d. loco c. 2. q. 1. *Sed qui meros verborum lusus depromunt, cum definitivè adesse non solùm adesse hic, non alibi, dicat, sed & totaliter & impartibiliter adesse, ut* c. 3. §. 7. 11. *visum, quod nulli corpori competere potest.* 4. Ubi distinctarum rerum distinctæ dantur voces, *quibus explicari possunt, confusis vocibus res distinctas appellare aut explicare, non est Philosophi. Ordinis enim & distinctionis Professor Philosophus esse debet, non confusionis.* V. §. 36. *Sed hic distinctæ voces distinctarum rerum sunt, alicubi esse sine occupatione, quod in ubi spirituali esse vocatur & cum occupatione, quod in loco propriè esse dicitur, quod negare non possunt, qui passim hæc confundunt. E. hæc confusis loquendi modis explicare non est Philosophi. Et consequenter* ἀφιλοσόφως *procedunt, qui distinctos illos adessendi modos uno loquendi modo, circumscriptivo alicubi esse debito, confundunt.* LXIII.

XLIII. Authoritatibus *eadem accuratio loquendi confirmari potest. Ex* gentilibus Aristoteles *locum manifestè alicubi esse fatetur, quia non est nullibi. Negat tamen, eum* ut in loco esse, sed ut terminum in terminato, 4. Phys. c. 5. t. 47. *Si locus alicubi est, nec tamen in loco, multùm certè differunt ubi & locus, & consequenter in ubi esse, & in loco esse. Prius omnibus rebus finitis conveniens est; Posterius tantùm corporeis & quantis. Et sic malè, quod alicubi est, statim in loco esse dicitur. Cum illud multò generalius hoc sit, & hoc multò specialius. Et hinc* novum argumentum *pro nostrâ sententiâ nasci possit:* Si locus est in πȣ̃, nec tamen in loco, *multùm diversa erunt, in ubi vel alicubi esse, & in loco esse, nec invicem accuratis Philosophis confundenda esse. Prius enim loco assignabitur, posterius minimè. Sed locus est in ubi, omne enim finitum & accidens est alicubi. Locus autem est finitum quid, & accidens corporum. Ergò.* Idem l. 1. d. cœl. c. 9. t. 100. & Boëthius *incorporalia non esse in loco, nisi metaphoricè vel æquivocè, ajunt.* V. Suaretz. d. 51. Metaph. s. 4. §. 24. Idem Boëthius lib. d. hebdom. *communem sapientum conceptum esse ait,* incorporalia non esse in loco. *Ex Scholasticis testimonium* Suaretzij *ubi & locum distinguentis* §. 20. *vidimus.* Scaliger ex. 359. s. 1. Angeli dicuntur esse in loco æquivocè, imò etjam plusquàm æquivocè, quia sunt in suo ubi, *non per circumscriptionem, quomodo manus mea in aëre, sed per designationem.* V. s. 3 §. 13. Tannerus c. l. in th. 40. *etsi* n. 8. *angelum propriè in loco extrinseco dici posse dicat, si de loco latè loquamur, ut substantiam corpoream dicit, in quâ angelus simùl existat: addit tamen* n. 10. *rectè etjam angelum respectu corporis in loco extrinseco solùm* æquivocè seu analogicè esse dici, *quòd locus extrinsecus & corporeus solùm analogicè communis angelico & physico sit, &*

 pluri-

plurimùm ista esse in loco, inter se differant. Corpus commensuratur loco, coextenditur illi, continetur, trahitur & conservatur ab illo, dependet ab eo, situm habet in illo: Quorum nihil in loco angelico. Valentia citato ibidem loco p.2. *apud Theologos certum esse ait* in 1.dist.37. *angelos non esse propriè in loco, sicut corpora, sed Metaphysicè, i.e. per aliquam similitudinem seu analogiam ad modum, quo est corpus propriè in loco. Contactus enim quantitativus locati & loci, ut istorum ultima, i.e. superficies simùl sint, in angelo locum nonhabeat. Similia apud* Masium f.2. d.1. q.1. & Tiphanum l. d. hypostasi c.54. n.20. *aliosq; invenies. Ex Reformatis* Martinius *etsi locum & ubi à Philosophis quandoq; discerni concedat, nullamque legem cavere ajat, ne angelos in loco esse, atq; etjam loco circumscribi asseratur,* p.694. Theol. *Alibi tamen,* ut l.2. c.22. p.1143. *distincta esse largitur.* Ubi, ait, est forma seu modus internus, quo res in aliquâ spatij parte existit, *etsi in nullo loco, qui quidem sit superficies ambiens. Ita etiam illud, quod in vacuo movetur, verè est affectum aliquo ubi, seu alicubi est, etsi non sit in ubi, h.e. loco externo. Ideò per motum localem dicuntur acquiri duo termini, unus tùm in pleno, tùm in vacuo, qui terminus est ubi internum: in solo autem pleno locus externus realis, qui & ipse aliquando dici solet ubi, quia in hoc mundo semper locus externus conjunctus est cum τῷ ubi, eò quòd corpora alta altis sine vacui intercapedine sint contigua.* Postea ubi in circumscriptivum & definitivum partitur. *Iam si circumscriptivum ubi propriè in loco esse facit, quod nemo negat, definitivum hoc non faciet, nam oppositæ ubicandi hæ species, ut ante* § 41. *conclusum.* Alstedius *spiritum creatum in loco intelligibili ponit* p.2 Pneum. c.3. & 4. Timplerus in loco *νοητῶς seu intelligibiliter, ut non occupet seu repleat spatium locale,* l.4. Metaph. c.4. q 6. *Chamier*

etjam

etjam spiritum locum non occupare ait, T. 2. paust. l. 6. c. 7. §. 19. 40. & c. 11. §. 50. *tùm angelos, tùm animam humanam simplicioris naturæ esse concedit, & proinde minùs loci conditionibus obnoxias.* His ipsis emollitionibus veram propriamq; loci rationem spiritualibus adimunt. *Locus enim intelligibilis verus nō est, ut & quantitas, quam* Scalig. *in spiritibus ponit,* ex. 359. s. 3. *& qui eum hic sequuntur,* Sagittarius C. 4. Metaph. d. 5. t. 1. 2. & Taurellus l. 4. co. Cæsalpin. q. 2. n. 2. & q. 7. n. 16. *vera quantitas non est, sed imaginaria.* Ex hypothesi Reformatorum communi *sic arguo.* 1. Affectio corporis naturalis, *quà talis, non est affectio entis spiritualis, disparatæ enim substantiarum species, & quod uni affectio propria est, alteri esse non potest. Sed locus est affectio corporis naturalis, quà talis, ut ipsi volunt. Omne enim corpus naturale in loco esse contendunt, ne gloriosis quidem corporibus exceptis. E. non entis spiritualis, & consequenter non propriè rigideq; Angeli in loco esse dicuntur, quod erat ostendendum.* 2. Locus aut internus est ipsis, aut externus. *Vterq; ob quantitatem & corpulentiam corpori est debitus. Om. enim quantum necessariò ipsis est in loco. Sed quantitas vera in spiritualibus non est. E. nec vera in illis loci ratio est.*

XLIV. Ostensum, *locum nec cum Vbi in genere, nec cum spirituali à Philosophis facilè confundendum esse, sed distincta distinctis vocibus, si suppetant, explicanda. Corpora propriè in loco, spiritualia in ubi definitivo esse. Iam* in physicis adhuc alia loci significatio à nonnullis recentioribus introducta, quâ loci & locationis vocem interdùm pro internâ rei in partibus suis justâq; symmetriâ, dispositione, & terminatione sumunt, *eamq; locum internum vocant: interdùm pro externi contigui ambientis terminatione, quam externum appellant. Primam corpori simpliciter, ut corpus est,*

necessariam faciant: secundam eidem, quâ pars mundi aliis ejusdem partibus contigua est, necessariam ajunt. Et hoc significatum vocis loci urgent in corporeis rebus, ne quis cum praecedenti significandi modo §. 40. *tacto eundem esse cavilletur, quem & in spiritualibus procedere ibi dictum. De corporibus autem eos hunc duplicem locum frequentare tota authorum ita sentientium tractatio ostendet. Hujus significati potissimus propugnator est* Keckermannus l. 1. d. loco c. 2. 9. & l. 1. Phys. c. 6. & d. 2. Curs. Philos. t. 3. 4. & l. 3. Gymn. Log. c. 4. ut *& in tractatu* d. quant. & local. corp. natur. c. 2. §. 3. *posthumo ipsi* Keckermanno, *ut fertur. Ante illum distinctionem eam attinentia quædam attulerunt* Danæus tr. 2. Phys. Chr. c 2. Ursinus p. 53. defens. c. Havenreuterum, Pezelius p. 22. demonst. c. Hunnium ap. eundem p. 45. Genevensis quidam Theologus in exegesi p. 64. ap. Graverum d. loco t. 120. Anonymus quidam ap. Heshusium in assert. Testam. p. 58. *Post illos locum internum receperunt* Alstedius p. 1. Phys. c. 11. §. 4. & p. 5. Theol. Polem. class. 3. q. 9. Pelargus dis. d. ascens. t. 172. Altingus not. ad disp. D. Behm de cœlo, q. 8. Chamier l. 6. To. 2. panstrat. c. 5. §. 9. 13. & c. 11. §. 26. Crocius p. 1. Con. Prut. q. 8. p. 455. aliiq;. *Ex* Patribus *etiam* Bernhardum *finem substantiæ cujusq; rei locum dicentem*, V. §. 38. Tertullianum in lib. c. Hermogenem; Augustinum ep. 57. Didymum Alexandrinum l. d. spiritu c. 5. *allegat* Keckermannus c. l. d. localitate, c. 2. Bodinum ex 2. th. Nat. p. 106. Toletum ex 4. Physic. *ex Philosophis addit.* In libro de loco & Zanchij ac Lombardi *authoritates adduxit. Apud* Scholasticos *loci interni interdum est mentio, ut* Conimbric. in c. 4. Categor. q. 1. a. 3. & c. 9. q. 2. a. 1. Toletum in 4. Phys. c. 5. q. 8. Suaretzium disp. 51. Metaph. s. 2. n. 4. Raconis disp.

d. lo-

d. loco tr. 2. s. 1. 3. Eustachium S. Pauli. p. 1. Phys. tr. 3. d. 2. q. 2. Morisanum d. 5. Phys. q. 1. aliosq;. *Sed non est iste locus internus, quem* Keckerm. *cum sequacibus talem vocat. Hi enim per locum internum* τὸ aliquod, ubi, & spatium, *quod res verè occupet secundùm propriam molem & corpulentiam, intra superficiem continentem intelligunt, vel spatium aliquod inane aptum repleri à corpore, quod proprium quoddam consequens ad ipsam quantitatis extensionem sit, sicut ad motum tempus consequatur. Et sive id à quantitate ipsâ realiter, sive formaliter, sive ratione differre dicas, parùm referre ajunt, ut apertè se explicat* Toletus c. l. *& ad ubi locum illum internum manifestè determinant* Suaretz c. l. & Ruvius in 4. Phys. tr. d. loco. q. 3. n. 37. *ubi impropriùssimam locutionem vocat, ubi & τὸ locum intrinsecum vocare, cum ubi præsentiam locati quasi passivam ad spatium per se per motum localem acquisitam, cujus est terminus, importet: Locus autem extrinsecam & quasi activam circumscriptionem importet.* Keckermannus *autem cum sequacibus talem locum internum urget, qui* realiter à locato non sit diversus, *ipsa nempe dispositio partium corporis in sese, quæ realiter ab ipso corpore differre non potest, quod* Chamier c. l. §. 13. 16. *apertè urget. Multum ergò inter has sententias discriminis. Quod intendetur, si, quæ de ubi & loco annotant* Authores, *accuratè satis considerentur, ut* Suaretz c. l. Tannerus c. l. Valentia, aliique.

XLV. Nostri istam loci significationem communiter negant, *quidquid de re ipsâ sit, quòd quantum propriâ partium & terminorum suorum determinatione circumscribatur. Quod in quanto nunquam negavimus.* V. §. 27. seq. *Sed quòd hæc circumscriptio ipsius termini & symmetriâ partium quanti facta locus dici debeat, id negavimus, adhuc negamus,*

 & me-

& merum lusum & abusum vocis loci esse dicimus. In quo consentientem ex Reformatorum scholâ habemus Timplerum, *qui suppresso nomine acriter reprehendit* Keckermannum c. 11. Phys. gen. q. 5. *quòd situm partium locum physicum dicat.* Unde etjam patet, ait, graviter hallucinari eum, qui statuit, situm partium corporis naturalis quandoq; sumi pro loco physico. *Omne enim locatum rectè dicitur existere in suo loco.* Sed quis unquam audivit, corpus aliquod naturale existere in situ suarum partium? *Præsertim cum omnis situs necessariò requirat locum, & nullum corpus sit imaginabile absq; loco, in quo situm seu locatum est. Hæc* Timplerus. *Ac quia circa vocis usum res est, multum fuerit, si solidæ authoritatis pondus in hoc usu depromeretur. Sed deficere illud inductiones docebunt.* Keckermannus Aristotelis, Lombardi, Zanchij, Danæi, Bernhardi, Tertulliani, Didymi, Ursini, Pezelij, Toleti, Bodini, *authoritates adduxit, partim* l. 1. d. loco, *partim tractatu* de quant. & local. corp. nat. Aristotelis, Lombardi & Zanchij *authoritates nihil proficere solidè ostendit* D. Jacob. Mart. l. 1. d. loco c. 7. 8. seq. Danæi, Ursini, Pezelij, *nos non stringunt, æquè ac nec Nostrorum authoritates, quas reponere possemus,* Keckermannum. Bodini *authoritas locum mensuram situs corporis naturalis definientis locum non meretur, cum & aliàs absurdis opinionibus plenus sit, quas ne ipse quidem* Keckermannus *acceptet.* Conf. §. 51. Bernhardi, Augustini, Tertulliani, Didymi *allegationes omnes alienæ sunt.* Tertullianus, dans locum bono & malo, inquit contra Hermogenem, corporalia ea facis, faciendo localia: quia quæ locum habent, prius est, ut corporalia sint. *Hic locum à corpore manifestè distinguit* Tert. *tanquam prius à posteriori; & quod locum habere debet, prius corpus esse oportere ait. Quod verissimum. Sed vana inde conse-*

consequentia: Ergò interna partium symmetria & distantia in corpore est ipse locus corporis internus: Vel, Ergò quodvis corpus in loco esse necessariò cogitur. Nihil horum dicit Tertullianus. *Aliud etiam est localitas, quæ interna in corpore ad occupandum locum habilitas: aliud locus, quem semper inter externa, tanquam terminum localitatis, credidimus, nunquam internum arbitrati sumus.* Aliud est, *dicere, quæ locum habent, corpora esse necesse est.* Aliud: *Quæ corpora sunt, locum habere necessum est. Illud verum est, sed hoc indè malè tanquam consequens elicitur. Sic quæ alba sunt, colorata esse necesse est. Non tamen quæ colorata sunt, necessariò alba esse oportet. Ab adjuncto ad subjectum benè proceditur, non à subjecto ad adjunctum distinctum. Sic, quæ vestita sunt, corpora sunt. Sed non contrà: Quæ corpora, statim vestita sunt.*

XLVI. Augustinus, Postquam DEum ubiq; esse dixisset, *non mole corporeâ, sed excellentiâ, idq; sapientiæ & qualitatum in nobis exemplo illustrasset, subjungit:* Cum ergò sit corpus aliqua substantia, quantitas ejus est in magnitudine molis ejus, sanitas verò ejus non quantitas, sed qualitas ejus est. Non ergò potuit obtinere quantitas ejus, quod potuit qualitas. *Nam ita distantibus partibus, quæ simul esse non possunt,* quoniam sua quæq; spatia locorum tenent, minores minora, & majores majora, *non potuit esse in singulis quibusq; partibus tota vel tanta, sed amplior est quantitas in amplioribus partibus, brevior in brevioribus, & in nullâ parte tanta, quanta per totum.* Qualitas verò corporis, *quæ sanitas dicitur, cum sanum corpus est totum,* tanta est in majoribus, quanta in minoribus partibus. *Non enim, quæ minùs magnæ sunt, ideo minùs sanæ sunt aut quæ ampliores, ideò saniores. Dicit* Augustinus, *partes* in quanto distare, quoniam sua quæq; spatia locorum obtineant. *Sed non hinc colligendum:*

Ergò

Ergò istam partium distantiam esse ipsam collocationem: *Vel, ut distantia quantorum interna est, sic & locationem internam dici posse. Perinde, ac nec vitam esse ipsum motum colligendum, quòd hominem vitam habere, quòd moveri videatur, quis asseruerit. Aliud est res, aliud rei effectus vel causa. Quantum extensionem partium extra partes, & sic distantiam essentialiter habet. Inde consequitur, diversa loca partes istas occupare. Sed non ipsa partium quantitativa distantia ipsa spatiorum est ocupatio, ut velut illa interna est, sic & hæc talis asseri possit. Illa causa est, hæc effectus. Illa prius, hæc posterius quid. Ab illâ oritur hæc, non ab hac illa. Sic vita actus substantialis & internus est. Motus accidentalis & externus. Non vitam ipsum motum esse asserendum, quòd viventia moveri constet.* Augustinus ipse ep. 29. *quantitatem ejusq́* dimensiones, à loco distinguit, & *corpus per loci spatium aliquâ longitudine, latitudine, & altitudine sisti ait. Et loci vocem de externâ re usurpat*, ep. 28. L. 1. d. doct. Christ. c. 12, l. 4. d. Gen. ad litt. c. 18. & l. 80. quæst. q. 20. Et libr. 21. sententiar. sent. 9. *Locum non corpus, sed spatium, quod obtinetur à corpore, vocat.* De altero Augustini dicto, Tolle spatia locorum corporibus &c. §. 38. *vidimus*. Bernhardus *locum finem substantiæ cujusq́ rei dixit. Sed quid per finem intelligat, ipse statim explicat, cum* finitudinem rerum creatarum intelligere ostendit. *Locus unicuiq́ rei finis est suæ substantiæ, inquit. Substantia verò animæ in ratione, memoriâ, consilio, judicio, cæterisq́ similibus est, quæ omnia suo quoq́ fine clauduntur. In mensurâ ergò est factus omnis spiritus, præter divinum. Quia & ratio ejus, & memoria, & cætera omnia suam habent mensuram. Vides, de naturali creatorum* finitudine & mensurâ Bernhardum loqui: *quam & rationi, memoria, consilio, & judicio tribuit, quibus absurdè* loca propriè dicta

dicta attribues, quæ corporum sunt, non accidentium. Et quam propriè locum velle vocare nullus Philosophorum concedet. Pertinent hæc magis ad ambiguitates vocis loci distinguendas, *quàm peculiarem loci propriè dicti, & physici quidem, speciem effingendam, quod* Keckermannus *facit.* Bernhardus *locum finem omnium creatorum dicit.* Keckerm. *locum internum in solis corporibus & quantis confingit.* Aristoteles *locum finem dicit*, 4. d. cœl. c. 3. t. 23. *Sed externi continentis, non ipsius substantiæ rei.* Danæus *quidem loco à* Keckerm. *citato locum cujusq; essentiæ & hypostasis terminum & finitionem finit. Sed apertam in voce termini & finitionis ambiguitatem esse, & definitionem inaccuratam esse, palàm est. Locus terminus non essentiæ ab intra*, sed corporis continentis ab extra est, *ut in Physicis docetur. Finitudo naturalis cujusvis creati* Metaphysica est & transcendentalis, *non Physicum quid, ut verus locus.* Didymus l. d. Spir. S. ap. Hieronymum Tom 9. p 399. *ait:* Ipse Spiritus S. si unus de creaturis esset, *saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut universa, quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco & finibus invisibiles creaturæ:* tamen proprietate substantiæ finiuntur. *Spiritus autem S. cum in pluribus sit, non habet substantiam circumscriptam.* Manifestum est, Didymum *de circumscriptione interna, quæ finibus substantiæ fit, loqui, Quæ omnium creatorum est propria. Sed istam circumscriptionem locum vocare, vel locum internum dicere, nusquam apud illum apparet, de quo inter Nos est quæstio. Et circumscriptionem illam etiam* invisibilibus creaturis *tribuit. Cum locum internum in corporibus tantùm urgeat* Keckermannus. *Alij sunt fines essendi: alij extrinsecùs continendi. Hi loca faciunt, non illi.* V. §. 33.

XLVII. *Præter authoritates & rationes quasdam pro obtinen-*

tinendo loco interno producit Keckermannus, *quas quia maximam partem* D. Jac. Martini l. 1. d. loco c. 17. *protrivit, non est, ut in illis refutandis tempus insumamus. Potiores quasdam videbimus, & quarum nonnullas* tractatu posthumo d. quant. & local. corp. nat. *contra adversarium suum, cujus mentionem facit,* Grauverum, *ut apparet ex thesibus, adducit. Vrget* 1. Authoritatem Aristotelis ex 5. Metaph. c. 19. *Ubi internam quandam partium dispositionem κατὰ τόπον esse dicit, ubi per locum ipsam distantiam partium & situm intelligi, ut interpretes &* Fonseca *explicant. R.* Falsum *hoc allegatum est. Aristoteles divisim dicit: Dispositio dicitur ordo partes habentis* aut *secundùm locum*, aut *secundùm potentiam, aut secundùm speciem. Non inde inferendum: Dispositio quædam secundùm locum est. E. ipse locus internus & locatio interna est. Cur enim non & sic: Dispositio quædam secundùm potentiam aut speciem est. E. ista potentia & species est ipsa partium dispositio? Quid absurdius dici potest? Aliud est, secundùm aliquid quiddam habere vel fieri; aliud, idipsum esse, secundùm quod fiat. Sic dispositio partium quædam est secundùm locum, & situm in eo, ut dextræ & sinistræ, anterioris & posterioris partis: quædam secundùm potentiam & virtutem, ut Dialecticæ pars una in dividendo, secunda in definiendo, tertia in argumentando consistit: quædam secundùm speciem & formam ac figuram ut in statuâ alia pars est extra aliam, & cum aliis simul existit in eodem toto, ut* Fonseca in h. l. *explicat.* Deinde aliud est *ordo partium ad locum in corpore, hic internus in ipso corpore est:* aliud locus *ipse, quorsum velut ad terminum ordo ille respicit. Hic semper inter externa est. Sic similitudo faciei in uno homine ad faciem alterius in ipso homine est: facies alterius externum quid, & terminus est istius similitudinis.*

XLIIX. 2. Cor-

XLIIX. 2. Corpus quantum habet situationem partium internam. *E. & collocationem. Nam quod situatur, collocatur. R. Negatur consequentia. Situatio alia est* partium in toto, *hæc in omni quanto continuo, & quantitatis continuæ velut differentia specifica, quà contrà discretam distinguitur. Sic est comparatio partium ad sese, & ad totum, ut una pars sita juxta extrema totius, altera juxta medium dicatur:* alia locati in loco, *quæ comparatio partium totius locati ad locum ejusq; partes, quà una sursùm, altera deorsùm dicitur.* Hæc non est, nisi ambiente termino circumscriptum quantum sit. *Nec situs & locatio statim eadem sunt.* In vacuo *situs esse partium potest, locatio non potest. Quod situatur, ubicatur, non statim locatur. Vbicatio alicubi esse infert, & etjam in vacuo esse potest, in quo nec locus, nec locatio. Ipsius loci situs quidam est, unde alius superus, alius inferus, alius dexter, alius sinister dicitur. Sed loci alium locum esse absurdum judicat* Philosophus 4. Phys. c.1. t.12. c.3. t.28. c.5. t.47. Conf: §.29. *Et posito, situm pro comparatione partium totius locati ad locum & ejus partes sumptum, locationis nomine quodammodò venire posse, quatenùs cum applicatione locati ad locum coincidit, & sic ordinem quendam ac respectum ad locum dicit: nondum tamen hinc locus internus & absolutus in omni corpore sequitur, quem* Keckerm. *urget:* Sed ordo tantùm quidam internus ad locum respiciens, *Esset enim locatio ordo quidam in corpore ad locum respiciens, ut* §.47. *dictum, quæ locatio non locus ipse, sed applicatio corporis locati ad locum est.* Dices: Locatio est abstractum loci. *Et sic si locatio quædam interna, rectè ad Concretum infertur. E. & locus quidam internus. R. Locatio non loci, sed* locati *est abstractum. Et sic locatum internè erit constitutum, non quòd locus ejus internus sit: sed* quòd ordo quidam applicationem ad eum dicens

cens *internus sit, quem locatio hoc modo sumpta diceret. Hoc non negamus. Sed nihil ad locum quantit absolutum, internum & simpliciter corpori necessarium hoc facit, nec locatum internum esse inde sequitur, sed aliquid in locato internum esse. Sic vocatio alia interna, alia externa est. Vocatus tamen non inde alius internus, alius externus dicitur.*

XLIX. 3. In dispositione partium corporis *intrinsecè designari possunt loci differentiæ, ut superum, inferum, dextrum, sinistrum. E. verissimè ista dispositio locus est. Nam in quo locales differentiæ assignantur, id verè locus est.* R. 1. Non sunt istæ differentiæ, *superum, inferum, dextrum, sinistrum, præcipuè loci;* sed situs, *qui latior est loco, nam & partes in toto sunt situatæ, non tantùm locatum in loco. Ita in situ partium ad sese & ad totum pars alia juxta extremum totius, alia juxta medium situata dici potest.* V. §. 48. 2. Cur non & sic *arguas: In ipso loco istæ differentiæ assignari possunt, quia situs in illo est, ex quo alius locus superus, alius inferus, &c. dicitur.* V. §. 48. *E. in ipso loco est locus internus, & idem erit in seipso?* 4. Aristoteles situm partium internum quid vocat, & simul locum appellat. *E. locum internum quid dicit. R. 1. Forma inferendi non valet. Sic enim formaliter per 3 figuram inferendum: Ergò quidam, qui situm partium dicit locum, situm internū qd dicit. Quod non negamus.* 2. Min. *est falsa. Aristoteles situm partium non locum, sed secundùm locum vocat, quod multùm diversum à priori.* V. §. 48. 5. Aristoteles cap. d. quantit. §. 1. & 9. *locum internum & externum inter se confert, & externum docet esse continuum propter internum situm partium in corpore. Et* §. 11. *partes quantitatis alicubi sitas esse dicit, ita ut ostendi possint. Illud alicubi autem locum notat, & quidem internum.* R. Aristotel. c. l. *locum ex numero continuorum docet propterea quod continui sit affectios.*

fectio, & certum locum partes occupent, quæ aliquo communi termino copulentur. Ita in continuatis sit locus, quia ad certum communem terminum partes ejus pertineant. Quid hoc ad locum internum? Aut estnè partium in continuo continuatio statim ipse locus? Ut hinc locum internum exsculpamus? Nec Aristoteles *eam ita vocat, nec res ipsa ita vocari sinit. Addit, lineæ partes certum situm tenere, quoniam unaquæq; alicubi sita sit, positaq; ubi unaquæq; sita sit, in plano explicari, quaq; cum parte reliquarum omnium coaptetur. Istud alicubi ratione situs Aristoteles usurpat, ut ultima verba clarè docent,* quaq; cum parte reliquarum coaptetur, in ipso scilicet corpore continuo. *Situs autem etiam est partium in toto, quem* Aristot. c. l. *intendit, non præcisè locati in loco. Sic in ipso loco situm partium ostendes, propter partes continui, cujus est. Ergòne etiam loci alium locum internum facies? Aliud est, situari, aliud, locari apud Aristotelem. Aliud, situs, aliud ubi.* V. §. 48.

L. Hæc de rationibus & authoritatibus Keckermanni *pro loco interno* in tractatu posthumo *adductis sint dicta: adeoq; evictum, nullâ* classicâ authoritate aut solidâ ratione *significatum loci pro internâ partium dispositione adeoq; loco, ut vocant, interno niti, ac consequenter in Physicis locum habere non debere. Iam in hoc ipso* ex Reformatis Timplerum *consentientem habemus, ut § 45. visum. Inquirendum jam* ipsum loci formale, & definitio ejus quàm verissima & accuratissima expromenda, *ut definitio[*] esse alicubi* circumscriptivi, *ad locum respiciens, eò evadat liquidior.* De genere loci assignando, *musis antenioribus, vel Vetustioribus, qui locum vel formam rei, vel materiam, vel corpus infinitum, vel simile quid, quæ universa jam tùm subvertit* Aristoteles, 4. Phys. c. 1. 2. 3. 4. *In universum* novem hodiè invenio

 senten-

sententias. 1. Eorum est, qui locum dixerunt intervallum seu spatium trinâ dimensione extensum. *Ita ex Veteribus* Stoici & Academici quidam, Strato Lampsacenus, Nic. Damascenus, Syrianus, Galenus, Philoponus, Proclus, Chrysippus, Epicurus, apud Conimbr. d. loc. qu. 1. a. 2. & Ruvium tr. d. loco. q. 1. *Quamvis* in modo explicandi *non semper convenerint. Ex* Neotericis *multi ad hoc genus inclinant.* Reformati *magnam partem, Vt* Alstedius p. 1. Phys. c. 11. & s. 3. Th. Schol. c. 3. §. 4. Bergius anal. d. Pers. Christi, t. 255. Amesius l. 1. medul. c. 8. §. 24. & T. 4.. Bellarm. enerv. l. 4. d. Euchar. c. 3. n. 2. 17. 18. Martinius in Theol. p. 696. 1035. 1145. & alibi. Vorstius not. ad disp. 3. d. DEO. t. 8. 9. p. 218. Crocius p. 1. Conv. Prut. q. 8. s. 1. p. 369. 400. 431. Ex Ramistis *plurimi idem amplectuntur.* Ramus l. 4. Sch. Phys. c. 4. 6. Beemannus l. 1. comp. Log. c. 7. s. 2. Casmannus in Dial. Rami. l. 1. c. 10. Dunamus in c. l. Buscherus harmon. l. 1. c. 10. Ursinus Comm. Log. l. 1. c. 10. s. 2. Crag. con. Libler. l. 4. c. 4. Freigius l. 1. Phys. p. 26. aliiq;. *Ex* Peripateticis Scaliger ex. 5. s. 3. Taurellus l. 3. in Cæsalp. q. 2. n. 4. & d. rer. ætern. passim ap. Vorstium c. l. D. Sennertus l. 1. Phys. c. 6. Fra. Vallesius in comm. c. 4. & Contr. 23. ad Tyron. Telesius l. 1. de Rerum natur. c. 28. Goclenius l. 1. disp. Phys. 20, t. 29. *Etsi alibi superficiem vel extremitatem statuat,* c. l. d. 16. Morisanus d. 5. Phys. q. 1. *Quibus accedit* & Gorleus ex. Philos. 10. s. 2. *De hoc genere ita habendum.* Spatium vel consideratur, ut est à termino corporis continentis factum, *& in illo radicatum, cujus est certa velut determinatio, quà superficies concava ad corporis figuram determinatum spatium partibus distantibus concinnatum adornat, unde διάστημα, intervallum, à διΐσταμαι, disjungor, dictum, quòd partes ejus secundùm molem partium corporis distent*

stent & disjungantur per longitudinem ac latitudinem, ita locus spatium concedi potest, *sed genus realiter à genere Aristoteleo, superficie vel termino circumscribente, non est diversum, sed idem cum illo, & voce ac loquendi modo saltem abit:* Vel ut est à termino corpus circumscribente diversum, *quomodo authores ejus intellectum volunt. Ita* Scaliger c. l. *Non est locus exterioris corporis ambiens superficies, sed id, quod intra eam superficiem continetur, nempe cavum intra corpus.* Crocius c. l. *Locus dicitur spatium merum seu nudum, respectu corporis non contigui. In tali ultimum cælum locat. Et* p. 400. *etiam id propriè in loco esse ait, quod externâ corporis ambientis superficie non clauditur, quippe quibus locus est spatium rei locatæ. Sic beatorum cælum etiam est in loco secundùm ipsum. Eadem* p. 431. *habet. Ita loci genus esse non posse patet,* 1. Quia non ens reale est, aut ejus rationem obtinet, *Nec conceptus ejus ullâ ratione dari potest. Remove enim ambiens à corpore, remove omne circumscribens, & præter hoc nec locus ipsum corpus sit, quid relinques, quod veri entis rationem subeat? Nihil & vacuum.* Sed locus in Physicis maximè ens reale est, *de quo affectiones reales enunciantur. Ut continere locatum, esse ei commensuratum, separabilem esse, per nonnullos etiam fovere & conservare illud,* V. §. 14. *Non ergò ejus genus non ens esse potest, quale est spatium ab superficie circumscribente abstractum.* 2. Tale spatium à superficie continente distinctum *aut est substantia, aut accidens. Si substantia, aut corporea, aut non corporea. Si corporea, ergò partes & quantitatem habebit, & aut ipsa in spatio per occupationem vicissim erit, aut non erit. Si erit, spatium erit in spatio, hoc rursùs in alio, & ita in infinitum.* Iterùm vel mobilis erit, vel immobilis. *Non hoc, omnis enim substantia Physica corporea est mobilis. Si mobilis, ergò ad locum*

cum

eum & in loco mobilis. Sic & locus erit mobilis instar corporis, & in alio loco erit, quod utrumeq; est absurdum. Si non erit, poterit corpus aliquod in contiguitate cum aliis positum esse sine spatio, quod occupet, vel occupare debeat, quod in Physicis non admittitur. Contiguitas n. Physicorum, si ultimum mundi corpus excipias, id non admittit. Si non corporea, E. aut spiritualis, aut alia à spirituali. Si spiritualis. E. intellectualis, voluntate, memoriâ & actibus intellectualibus prædita, quod absurdum. Sic n. omnis spiritus est. Si alia à spirituali, ut quidam volunt, V. §.53. *nominetur ea, quæ & qualis sit. Hactenus enim præter corpoream & incorpoream, quæ spiritualis, nullam aliam incorporeæ speciem noverunt Philosophi. Pluribus contra spatium* Ruvius, Pererius c.5. l.11. Conimbricenses aliiq; *videantur. Ex Reformatis illud oppugnat* Keckermannus tr. d. local. c.2. p.35.36. & l.2. d.loco. c.3. Timplerus Phys. gen. c.11. q.5.

LI. 2. Alij locum per mensuram definiunt, *ut genus,* Ut Ramus l.4. Sch. Phys. c.4. *Locus est mensura situs eorum, quæ locantur, ut tempus est mensura motus eorum, quæ moventur.* Bodinus l.2. Th. Nat. p.106. Cragius c. Liebl. l.4. c.4. Contrà 1. Esset vel mensura essentiæ locati, vel cognitionis. *Non essentiæ, quia positâ essentiâ rei non statim ponitur locus, cum essentiæ rerum abstractè sumptæ ab omni hic & nunc, i. e. loco & tempore abstrahantur: concretè sumptæ etiam sine mentione loci definiantur. Sic corpus, animal, planta, metallum, homo, &c. Om. suas essentias absolutas, & sic sine respectu ad locum obtinent. Nec cognitionis, quia cognito loco, v. g. termino ambiente, non statim cognoscitur rei natura aut proprietates naturales, v. g. cæli, plantæ, hominis, arboris, &c. E. planè non est mensura.* 2. Si locus mensura locatorum, *aut prima erit, aut orta.* Non prima, *sic enim perfectissi-*

fectissimum in quovis genere est mensura cæterorum. Sic homo brutorum, aurum cæterorum metallorum. At non locus est perfectissimum quid in locatis, sed esse & existere. Nec secunda, *quia hæc cum mensurato debet esse homogenea, i. e. ejusdem generis. Sed locus cum locato non. Locata enim inprimis sunt substantia & corpora. At locus accidens & non corpus est, ut in* Physicis *disputatur.* 3. Affectio *rei non debet poni pro essentiali ejus genere. Sic visibile, docile, non pro genere hominis. Sed si locus omninò mensura esset, affectio hoc ejus esset, ex æqualitate orta, ut cum locus dicitur locato æqualis, adeoq; commensuratus ei, ita velut mensura ejus diceretur. E. non ex hoc ut genere definiendus.*

LII. 3. Alij locum per basin substratam definiunt, *quâ corpus sustentetur & innitatur. Ita* Keckermann. l. 2. d. loco c. 8. 9. & tract. d. local. c. 2. §. 10. *ubi 10. argumentis id probare nititur. Et* Timplerus Phys. gen. c. 11. q. 5. *Ubi 5. argumentis id probat.* Contrà 1. Si basis corporis sustinentis *est locus, E. locatum non totum, sed pars saltem ejus in loco erit, illa, quæ basi proximè innititur. Sic homo stans in terrâ ratione pedum propriè in loco erit. At locatũ* primò ratione totius *in loco esse debet, locati n. locus est inprimis, & per hoc partium ejus: non contrà, inprimis partium, & secundò totius. Sic homo in terrâ, aquâ, museo, &c. esse dicitur, non hominis corpus, anima, caput, pedes.* Dices: At non soli pedes *hominis basi sustinentur, sed inprimis totum corpus, quod ut per se existens & complete principaliter proximum est sustinenti, adeoq; & principaliter in loco, cum pedes ei proximi sint saltem instrumentaliter, ut instrumenta & partes hominis, adeoq; & partialiter saltem in loco, totum principaliter & totaliter.* R. Hoc Conclusionem *negare & limitare est, dimissis præmissis. Si basis locus rei,* primariò pars basi proximè innixa, ut res

in loco erit, *cum contrà esse debeat, & primò totus homo, secundò pes ejus in loco sit. Totum enim commensurationem ad locum habere debet, non pars. At in basi infima pars commensurationem primò habebit, ut pes; suprema hoc loco non commensuratur, nec continetur. E. talis locus, qui primò partem mensurat, non totum, non est verus propriusq́; locus, quidquid sit de consequente totius mensuratione.* Locus proximè totum mensurare debet, non partem: & principaliter, non secundò. *Sed basis proximè partem mensurat, pedes, hos enim continet ac proximè sustinet, hi proximè loco, basi, sunt applicati, & his proximè basis commensurata est, non toti, ut exemplo hominis stantis & globi jacentis palàm est:* Remotè & per pedes demùm toti basis est commensurata. *Iam, quod hoc modo mensurat locus, id & principaliter mensurat. Ita pedes stantis principaliter mensurabuntur, totum secundariò & consequenter. Ast in vero loco* hæc omnia inversa *esse debent, & totum proximè â loco mensurari eiq́; applicari debet, non partes.* 2. Locus proprius *debet esse æqualis locato. Basis inæqualis. Sic spatium, quo pedes hominis detinentur, longè minus toto corpore, si homo stet: si supinetur, etiam minor basis sustinens totâ hominis circumferentiâ: si incurvus manibus pedibusq́; innitatur, iterum longè minor: basis, quâ globus sustinetur, longè minor totâ globi circumferentiâ. E. nequit locus esse. Quæ ad hoc argumentum excipit* Keckerm. ap. D. Jacob. Martini l. 1. d. loco c. 40. *profligata vide.* 3. Si locus est basis, *E. quod corpus basi non innititur, non est in loco. E. corpora suspensorum, globi ex sublimi suspensi, non erunt in loco. Hoc absurdum. E. & id, ex quo sequitur.* 4. Ex hypothesi Keckerm. & Timpleri sic *arguo. Si basis locus corporis, angeli non erunt in loco. Sive enim in cœlo, sive in terrâ aut aëre sint, nuspiam ut in corpore sustinente & sustentante*

tante sunt, cui insistant, cum corpora non sint, quæ aliis inniti necessum habent. Sed angeli secundùm illos maximè sunt in loco. E. locus basis non est. Deinde *si locus basis, maximè ob immobilitatem locus statuetur. Hoc intendit* Keckerm.. *At nec omne sustinens est immobile, ut in aquâ cymbam aut navem, rotâ versatâ aliud corpus impositum sustinente patet. E. nec ob immobilitatem basis pro loco agnoscenda, & sic planè non pro loco habenda. Quæ pro suo genere vel rationum, vel authoritatum producunt, apud eundem* D. Jacob. Martin. c. I. c. 32. 33. *exossata vide.*

LIII. 4. Alij receptaculum locati definiunt. Timplerus c. I. & I. 2. Metaph. c. 5. q. 7. Pincierus I. 3. ænigm. æn. 31. *quòd locus sit relatum, locati nempe locus, & receptaculum simile quid sit, recepti nempe receptaculum.* Contrà 1. Nullum tropicum *pro genere ferri debet si suppetant propriæ voces, per* 6. Top. c. 2. *Sed receptaculum est vox Tropica, & museum, & vas, & armarium sunt receptacula, non tamen loca propria. Et suppetunt voces propriæ, terminus circumscribens. E. pro genere poni non debet.* 2. Si locus est *receptaculum, ergò* aut materiale *erit, aut formale.* Non materiale, *ut vas, dolium, crumena. Hoc enim localiter est mobile: At locus localiter est immobilis.* Nec formale, *non enim magis locus recipit locatum, quàm locatum locum. Imò hoc magis locum, quomodo substantia magis recipit accidens, quàm accidens substantiam. E. neutrum, & sic nullo modo est receptaculum. Falsum etiam, locum verè relatum quid esse.* V. §. 57. 5. Alij substantiam censent esse, non accidens; sed diversimodè. Quidam *incorpoream; nec tamen spiritum, sed incorporeum latius quid esse spiritu censent, ut vel incorporeum sit vivens, quod spiritus, vel non vivens, quale quid locus.* Ita Pincierus c. I. Ubi *receptaculum substantiam*

incorpoream vitâ carentem se intelligere ait. Quidam corpoream. Sed & hi diversimodè. *Quidam corpus recipiens subjacens. Ita* Timplerus c.l. Phys. Keckermannus c.l. *Quidam* continens vel ambiens, *vel qualicunq; modo denominans, ut & locum angelicum comprehendat. Huc inclinat* Altingus. *Vtroq; modo sententia labat.* 1. Si locus substantia incorporea, nec tamen spiritualis, *erit nova incorporei species à spirituali, quod contra omnes Logicos & Metaphysicos, & cujus nec ulla dari potest ratio, nec ullum exemplum proferri in medium, præter* locum, *quem producit* Pincier, *& qui controversiæ hic apex est. Non autem in Philosophiam nova entis species introducenda citra rationem, exemplum, vel necessitatem. Sic enim quidvis fingere liceret cuivis, nec modus fingendi esset, nec terminus.* 2. Si substantia incorporea locus, *E. non quantus erit, nec partes habebit, quarum ratione situm habere queat, & distantiam superi, inferi, &c. At non quantum non erit æquale quanto, ut locus locato esse debet: & partium distantium inter se situm ac differentias omnes loco assignant, ut sursùm, deorsùm, antrorsùm, retrorsùm, dextrorsùm, sinistrorsùm.* Si corporea substantia est, *vel ratione materialis, vel formalis est. Ratione materialis, corporis ambientis, v. g. aëris, aquæ, terræ, corpus quidem est, quomodo locum quidam substantiam corpoream vocant, ut* Tannerus par. 1. Th. Sch p. 1343. n. 8. *Sed hoc materiale tantùm in loco est, & alienum; formale est terminatio & circumscriptio ambiens. Res autem in accuratis definitionibus potiùs per formalia, quàm materialia, est definienda. Ratione formalis non corpus, sed corporis terminus ab extra proximè circumscribens est.* Nam si corpus, vel receptum, vel recipiens esset. Non receptum, *hoc enim locatum, sic locatum locus esset. At opposita hæc, & locatum non locus, nec locus locatum est.* Nec recipiens,

piens, *nam corpus vicissim locum requirit. Sic loci locus erit, & hujus iterùm, & sic in infinitum.*

LIV. Dices 1. Imperfectius nequit locus perfectioris esse. *Conservat n. & fovet locus locatum. Sed accidens longè inferius substantiâ. E. nequit locus esse. R. Negatur major. Conservatio & fotura loci non est propriè dicta, sed analogica, quâ in corpore circumstante est, & alia simùl cum loco connectuntur.* U. §. 14. *Sic & accidentibus homo conservari potest, ut calore, odore, exhalatione, humore, &c.* 2. Locus trahit ad se locatum. *Sed vis tractiva est in substantiâ, non accidente. Non ergò locus accidens, sed substantia.* R. Etiam in accidente vis tractiva, *ut calore. Sic succinum calefactum paleas & stipulas trahit. Locus trahit locatum tractione metaphoricâ, quâ corpus naturale ad proprium sibi & naturalem locum propendet, in eoq; esse & quiescere vult, non propria.* V. §. 14. 3. Non est in subjecto, *non enim inhæret, sed circumstat & ambit. At accidentia sunt in subjectis. R.* Distinguendum *inter accidens receptum & occupatum. Receptum inhæret, sic color faciei: occupatum circumstat & adhæret. Sic arma militi, vestis homini. Sic locus accidens circumstans est, ut lumen diaphanum, radius corpus in sole positum. Quomodo accidentis esse sit inhærere, disquirunt Metaphysici. Accidentis prædicamentaliter sumpti est ista definitio, non prædicabiliter, in quo multæ substantiæ sæpè, quæ non inhærent. Sic locus accidens Corporis circumstans, non inhærens.* 4. Potest locus ad tempus *corpore esse vacuus, & sic non erit in alio, vel circa aliud. Si sine alio esse potest, utiq; per se subsistere potest. Per se enim esse, & in alio esse, opponuntur. Si per se subsistere potest, utiq; substantia est.* R. Aliud est locus, aliud res ipsa, in quâ loci ratio figitur. *Locus est terminatio circumscribens, quæ absq; eo, quod circumscribitur, nec esse,*

nec cogitari potest. Sic nusquam locus absq; corpore locato, & in vacuo. Res illa, in quâ circumscribentis termini ratio, quæ formaliter locus, sumitur, sine alio esse, & sic per se subsistere ac substantia esse potest. Sic aër, aqua, absq; iis, quæ continentur in illis, esse possunt. Sic substantiæ. Sed hæc materialia locorum sunt, & infinita esse possunt: formaliter ipsa loca non sunt, nisi aliud accedat, corpus, quod termino extrinseco circumscribatur. In hoc circumscribendo locus est, & *hic sine alio esse non potest. Non quasi esse locati faciat, sic enim benè esse ejus tantùm facit: sed quòd sine eo formale suum obtinere non possit. Non enim circumscribens aliquod formaliter est, nisi circumscriptum sit.* 5. Substantia non est in accidente, *sed hoc in illâ. Sed est in loco. E. hic non accidens, sed substantia.* R. Substantia non est in accidente tanquam subjecto, benè tanquam in loco & continente. Varij sunt modi inessendi. *Inter cæteros & locatum in loco esse dicitur. Quomodo & substantia in accidente esse potest. Sic res in fine esse dicitur. Finis tamen in multis accidens esse potest. Vt sanitas, ambulatio, iter, præsentia localis &c. Sic quantum in suâ symmetriâ & dimensione esse dicitur* Keckermanno. *Distinguendum etiam inter locum communem & proprium. Communis substantia esse potest, ut navis, conclave, vas, templum: proprius est continentia ambientis immediata, & sic accidens.* V. §. 58.

LV. 6. Alij finem vel finitudinem cujusq; rei *eum definiunt, ut* Bernhardus, Danæus, & Chamier, *de quo* §. 46. *vidimus. Sed hi de loco interno hoc explicant, ut* Keckerm. c. 1 & Chamier c. l. c. 11. §. 26. *De quo hic non sermo. Quanquam hic sæpè & ad externum id adhibet, cum de πολυτοπίᾳ corporis per potestatem absolutam impossibili disputat contra asserentes eam, ut* c. l. §. 18. & c. 10. §. 6. alibiq;. 7. Alij negant.

accu-

accuratum genus ei dari posse, aut veræ definitionis capacem esse, *quòd sit ens concretum ex re, extremo corporis, & ordine vel applicatione ad aliud, quod continetur, adeoq; superficies cum continentiâ & terminatione.* Concreta *autem directè & per se in uno prædicamento non sint, itaq; nec rigidi generis vel definitionis capacia sint. Ita* Keckermannus l.1. d. loco c.9. & in tract. d. local. & quantita. c.2. p.24.25. Contrà, 1. Ut se habet aliqua relatio ad suum relatum, *sic locus ad locans, quod â loco dicitur locans. Sed relatio est forma abstracta relati, non concretum quid. Sic paternitas patris, filiatio filij. E. & ita locus ad locans. E. abstractum quid, & quod locanti dat denominationem, non concretum.* 2. Ut locatio ad locatum, *sic locus ad locantem se habet. Nam ut illic locatum, sic hic locantem denominat. Sed illa abstractum quid est. E. & hic.* 3. Posito, *esse concretum, non inde sequitur, non accuratè posse definiri. Concreta enim quædam per se sunt, ut homo, animal, Petrus, & hæc primò in prædicamentis sunt, & accuratissimè definiuntur: quædam per accidens, ut album, dulce. Hæc veræ definitionis non capacia, nec directè in uno prædicamento. Locus si concretum,* per se concretum esset, *essentialiter enim cum locante junctum. Hoc veræ definitioni nil obstat. Ratio* Keckerm. *nil infert. Confundit locum cum esse in loco, quod est partium locati & locantis corporis applicatio, & modum essendi alicubi describit. Hoc ex re & continentiâ ad rem concrescit:* sed ipse locus, qui terminus vel terminatio ambientis est, ex illis non concrescit. *Est n. terminus indivisibilis & simplicissimus, in quantum talis manet. Nec statim,* quorum essentia duo a. plura requirit, fiunt inde concreta. *Hominis essentia, humanitas, animalitatem & rationalitatem requirit. Humanitas tamen abstractissimum quid. Animalitas & corpus & sensitivum*

sitivum requirit, forma tamen abstracta. Ad scientiam requiritur mens, ut subjectum scibile, scitum, ut objectū, & habitus, ut promptitudo objecta continens & repræsentans. Ad sensationem anima sensitiva, organon sentiens, & objectū sensatum requiruntur: Ad relationem termini, fundamenta, fundandi rationes: scientiæ tamen, sensatio, & relatio, abstractissimæ formæ, judicib. omnibus Metaphysic. Ita superficies quà locus, respectum aliquem additum habet, quo ab aliis superficiebus distinguatur. Sed inde non concretum quid sit, quomodo nec ex divisionibus in planam, globosam, concavam, convexam, statim tot entia complexa fiunt. Modus n. rei, requisita ejus ad constitutionem essentiæ rei necessaria, non statim res illius speciei multiplicant, & proinde non concretam faciunt. Tùm concretum quid est, cum multa entia completa copulantur, ut corpus & albedo, quantum & dulcedo in dulci. Sed respectus continentiæ in superficie est saltem modus quidam, relatio, & ens incompletum, qui concretionem nondum importat.

LVI. 8. Alij locum merum nō ens & nihil *esse ajunt: quòd nec substantia, nam corpus a. Spiritus esset, nec accidens sit, cum subjectum ostendi nequeat, cujus primò & universaliter sit. Non ambientis, sic n. amotis illis vel unà moveretur, vel de subjecto in subjectum migraret. Nec locati, nam & hoc movetur, & aliud in ejus locum succedit. Sic & hic locus, accidens, migraret de subjecto in subjectum, quod nemo Peripateticorum admisit unquam. Ita singulariter* Gorlæus in ex. Phil. ex. 10. f. 2. & Cosmopolitanus in Phil. lib. dec. 1. ex. 2. Contrà, 1. Si locus est nihil, a. privativum, *a. negativum erit. Non privativum, non n. oppositum habitum habet, cujus esset privatio. Nec negativum, quia hoc in rerum naturâ locum non habet, locus a. habet, ut communis omnium experientia testatur. E. prorsùs non nihil est.* 2. Si locus nihilum, esse in loco corpora, tendere *ad loca sua naturalia, perinde erit, ac esse in nihilo, tendere ad nihilum, Et locum æqualem esse locato, nihilum alicui æquale esse erit. At hæc omnia inconsistentia sunt. Ergò. &c. Ad opposita* R. Vel Corpus ambiens *loci πρῶτον subjectum est: Illo amoto locus non movetur, sed cessat vel desinit esse, & succedit alius: Est n. immobilis, sed non immutabilis. Vel locatum est illud, non quidem inhærentiæ, sed adhærentiæ & circumstantiæ. Locus n. locati locus est.* V. §. 60. 61. *Ita absurda facilè declinantur.*

DE ESSE ALICUBI

EXERCITATIO NONA.

De Multipræsentiâ Corporis DEO possibili.

R spond. FRIDERICO SCHRÖDERO.

THES. LVII.

9. ALij deniq; locum volunt esse superficiem corporis ambientis, immediatè locatum ambientem. *Ita* Peripatetici *communiter*. Conimbricenses in 4. Phys. Raconis, Ruvius, Toletus, Tiphanus l.d. persona, c. 54. n. 20. seq. Eustachius S. Pauli, Jac: Martin. l. d. loco, & in disp. Phys. & in Curs. Philosoph. Arriaga, Grauverus, Titelmannus, Velcurio, Jacchæus, Bachmannus, Magirus, Lieblerus, Valerius, Masius, qui authoritate Aristotelis & Thomæ locum se superficiem *dicere ait, cum pro se magis ad intervallum propendeat*, 4. Phys. c. 5. q. 3. Ex Reformatis Zanchius l. 1. d. reb. visibilib. c. 8. §. 1. Sohnius T. 2. Op. p. 380. exeg. Aug. Conf. art: 3. Estq; *vera & maximè probabilis sententia. Pro* cujus explicatione *adverte*. 1. Superficiei *vocem non esse* Aristotelis, *sed Interpretum :* Aristoteles πέρας *seu extremitatem vel terminum vocat: Quæ vox commodior priori, & clariùs naturam loci explicat. Nec ad Interpretum vocem præcisè nos alligandi sumus.* 2. Locum *hic definiri per se & tantùm, non quatenùs esse in loco implicat, quod est peculiaris modus & habitudo ubicationem circumscriptivam in corpore dicens. Adeoq; loci abstractè sumpti definitionem hic inquiri, non ut cum isto modo coalescit, unde quidam concretum cum faciunt, ut* §. 55. *dictum.* 3. Locum spectatum *in corpore locante posse dici terminum intrinsecum, non enim est exterior cingentis superficies, quæ*

 conue-

convexa dici solet, sed interior, quæ concava. Debet enim locus esse locato contiguus, seu proximè illud contingere. Hoc autem sola superficies interior præstat, non exterior. Sic intima amphoræ extremitas proximè contingit aquam, non extima: Sed in corpore locato terminus extrinsecus est. *Non enim est aliquid ipsius locati, tanquam ei inhærens, sed locantis. Locatum circumstat & cingit, non ut pallium palliatum, ut ex* Ramo *cavillatur* Cragius, *hoc enim nec totum, nec immediatè, nec naturaliter locatum comprehendit: Sed ut extremitas totaliter, naturaliter, & proximè circumdans.* 4. Locum ex materiali tantùm *esse superficiem, & sic in quantitate continuâ: itemq; corpus aliquod ambiens, & sic in substantiâ: ex formali* continentiam immediatam & terminationem in istâ superficie, *& sic relatum aliquod secundùm dici. Omnis enim terminatio terminati terminatio est. Non tamen totaliter inde relatio est, quod* Scotus *voluit, quando relationem continentis ad contentum definivit*, quodlibet. 11. *Quem* Tartaretus & Burlæus *ex Veteribus* ap. Masium. d. loc. quæst. 1. D. Meisnerus p. 1. P. S. p. 453. Timplerus 2. Metaph. c. 5. q. 2. & Pincierus, V. §. 53. *ex Neotericis sequuntur. Contrà quos ampliùs vide sis* D. Jac. Martin: 2. d. loco c. 16. *Sed apparens, quomodo in scientiâ respectus ad scibile, amore ad objectum amatum est, quæ tamen primò & per essentias suas absoluta entia & qualitates sunt.* 5. Superficiem spectari vel *abstractam à materiâ, ita Mathematicæ est considerationis:* Vel ut *est corporis proprij terminus & extremitas, ita cujuslibet determinati est corporis quanti, figura & quantitate præditi:* Vel *ut est corporis alieni & continentis terminus, qui aliud corpus contentum ambiat & circumscribat. Hac ratione loci naturam constituat.* 6. Extremitatem *illam ambientis in loco non esse præcisè ad aërem, aquam, terram, vel ignem,*

ignem, aut simile quid determinandam: sed indifferenter & generalissimè ambientis nomine vocandam, præscindendo, an in aëre, an aquâ, vel terrâ, &c. ista ambientia ad corpus locatum fundetur. Ut sic loci definitio quàm tutissimè hæc assignetur: Locus (*proprius scilicet, nam de communi hîc non quæstio*) est terminus sive extremitas continens vel continentia corporis ambientis immediata, & localiter instar corporis locati immobilis.

LIIX. *Hac ratione terminum vel extremitatem* jure *pro genere loci assignari probatur.* 1. Quia nihil *cæterorum verè illi assignari potest, ut* §. 50. 51. seq. *ostensum. Relinquitur ergò terminus sive extremitas.* 2. Ex proprio loci *ad locatum officio rectè definitio loci sumitur. Per id enim ab omnibus aliis rebus, quæ non loca sunt, distinguitur. Sed in eo proprium loci ad locatum est officium, quod proximè & immediatè illud terminare, continere, ambire, & circumscribere debeat. Ergo rectè ex hoc locus definitur extremitas seu terminus ambiens, continens, circumscribens.* 3. Quod commodissimè *ad proprietates loci quadrat, id rectè pro genere ejus assignatur. Sed terminus continens commodissimè eò quadrat.* Ut, locus *debet continere locatum.* Non *est pars interna ipsius locati, sed externum quid.* Est *æqualis locato per omnes partes, nec major eo, nec minor.* Est *immobilis cum locato motu locali.* Est *à locato separabilis.* Non *potest esse sine aliquo corpore, sive corpus locans sive locatum respicias, tametsi sine hoc vel illo esse possit.* Naturalem *esse corpori, ut in eo corpus esse queat, velit, & contendat, ut in illo velut naturali complemento quiescat. Tametsi de facto quandoq; separatus ab eo esse possit.* Trahere, *perficere, conservare, fovere, locatum, &c. Hæc omnia commodissimè in extremitatem vel terminum quadrant. Continere eam corpus locatum, nec partem ejus esse, sed extrà am-*

bientem-

bientem superficiem esse apertum est, V. §. 57. *Æqualem esse toti corporis locati complexui è continentiâ totali patet. Immobilem esse* §. 60. *liquebit. Separabilem à locato esse patet, quòd externum quid sit. Extrinseca autem ab essentiis rerum separabilia. Sine aliquo corpore esse non potest, quia superficies continens est. Superficies autem nonnisi in corpore continente est. Et quia continentia quædam locati est, corpus, quod locetur, requirit*, quamdiu locus esse debet. *Sublato locato & ratio loci expirat. Habent enim hæc se ut relata transcendentalia.* V. §. 57. *Naturalis est corpori, quia in corpore & quanto naturalis habitudo est ad terminum circumscribentem admittendum, undè corpus circumscriptivè in loco esse dicitur, quòd naturalis habitudo ad terminum circumscribentem recipiendum semper in illo sit.* V. §. 6. *Trahit, perficit, conservat locatum, eo modo, quo supra* §. 14. *de loco id explicatum est.*

LIX. Multa sunt, *quæ huic sententiæ opponi solent. Plurima collegit & dissolvit* D. Jac. Mart. l. 1. d. loco, c. 17. l. 2. c. 8. 9. seq. *Multa apud* Conimbricenses, Toletum, Masium, Gravverum d. loco, aliosq; *soluta videri possunt.* Multi *veram loci rationem Aristoteli incognitam ajunt.* Ut Timpl. 4. Metaph. c. 6. q. 5. Alij *multis modis vitiosam ejus sententiam ajunt, ut* Vorstius not. d. DEO. p. 218. Alij *aliter incessunt.* V. Crocium p. 2. Conv. Prut. c. 6. *Nos* potiora *quædam adducemus, brevibusq; diluemus.* Dices 1. Omne genus debet pluribus speciebus esse commune, *Debet enim esse latius specie. Terminus ambiens non, nulli enim rei quàm loco competit, cum quo reciprocatur. Omnis terminus corporis ambiens est locus, & omnis locus est terminus ambiens. E. non verum genus.* R. Missis alienioribus, *ut qui superficiem, ut mensuram, in externam & internam dividunt, & illam locum, hanc superficiem ipsius quantitatis faciunt, de*

quo

quo Masium d. loco q. 2. *vide*, *breviter dicendum*, vel *terminum solitariè sumendum*, *sic esse genus loci*, *non terminum continentem*: *ubi vocabulum differentiam ex parte habens involvitur*: Terminus *autem longè latior termino continente vel circumscribente*, *& multi termini esse queant*, *qui circumscribentes non sint*, *ut termini finientes*, *ut ultima linea*, *extendentes*, *continuantes*, *ut punctorum connexio in lineâ*, *&c.* Vel *Terminum continentem genus esse loci non cujusvis*, *sed proprij & immediati tantùm*, *non communis & remoti*. *Hic terminus continens longè latior erit suâ specie definitâ*, *loco proprio*, *quem hic definimus*. *Nam & communis locus terminus continens est*, *qui tamen non talis species*, *qualis hic definitur*, *sed diversa*. *Hic genus plures species comprehendit*. *Vnde in nostrâ specie non solùm terminus continens dicitur locus*, *quod pro genere est*, *sed* plura pro differentiâ assignantur, *nempe immediata*, *& localiter immobilis*: *Vt innuatur*, *locum proximam continentiam esse*, *& motu locali*, *quo corpus locatum est mobile*, *moveri nunquam posse*.

LX. 2. Omnis locus debet esse immobilis. *Sed superficies corporis continentis in infinitum est mobilis*. *Sic cum palus in fluvio infinitis aquæ præterlabentis superficiebus cingitur*, *turris in infinitis aëris superficiebus agitante vento circumscribitur*. *E. nequit esse locus*. *R. Variè hic respondetur*. V. Conimbric. Pererium, Ruvium, & alios. *Dico*, locus est immobilis, *quia motu locali ad modum corporis locati non de loco in locum procedit*: sed non immutabilis, *quasi circumscriptio una in superficie continente non possit in locato desinere*, *& alia succedere*. *Sic procedente aut amoto aliorsùm corpore locato non procedit simùl vel movetur locus*, *qui corpus circumscribebat*; sed desinit esse, succedit postea novus, *huic successivè alius*, *iterumq́ alius*, *& sic consequenter*, *donec loca-*

tum persistat. In corpore fixo multæ sunt superficies, ut turri in aëre, palo in aquâ, sed illæ sunt locus materialiter, sed continentia & circumscriptio in illâ formaliter. *Etsi aquæ defluant, aëres ventilentur, sicq́; subindè varientur: continentia tamen aliqua superficie formata manet, & sic locus idem manet, etsi materialia ejus mutentur. In superficie est locus: in hâc vel illâ numericâ non præcisè esse tenetur. Manet idem locus ut forma, non manet ut materia, Vt in simili de eo, quod augetur,* Aristoteles 1. d. gen. t. 35. 36. *ait. Aqua movetur in flumine:* Continentia pali in aqua non movetur, quæ est locus. Deinde loci materiale *mutari potest, manente præsentiâ corporis eadem in loco. Locatum servat locum, quamdiu* præsentiam & ubicationem eandem servat, *etsi id, in quo locus esse dicitur, mutetur. Sic homo in eodem loco vanni sedet, etsi superficie modo aëris, aquæ, vini, olei, circumscribatur, quia præsentiam ejusdem ubicationis retinet. Mutatio fit non ad locum, ut terminum,* sed ad præsentiam in alio & alio loco. *Cùm hic modus, præsentia in loco, in corpore mutatur, tùm propriè corpus locum mutare dicitur, non cum id mutatur, in quo velut materiali loci ratio importatur. Ista præsentia ad locum interdum locus dicitur, sed non semper de loco reali & extrinseco accipienda :* sed de omni spatio & ubi, *in quo per præsentiam præsentes reddimur, etjamsi in vacuo illud sit, in quo verus & physicus locus non est.* §. 42. 43.

LXI. 3. Locus proprius debet esse æqualis locato. *Superficies non, locatum enim trinâ dimensione est præditum, locus tantum binâ, longitudine & latitudine, profunditate caret, sic enim corpus esset, quod Aristotelei negant, quando accidens eum faciunt. Ergò.* R. Locus est æqualis locato proportionatè, non identicè, *i. e. secundùm proportionalem corporis continentiam, non omnium dimensionum præcisè pertinentiam:*

nentiam: secundùm esse proportionale, non essentiale. Locus sit aequalis locato, quòd omnes ejus dimensiones continere debeat, non quòd tribus dimensionibus constare ipse debeat. Deinde aequalitas continentiae in loco *etsi immediatè & directè longitudinem & latitudinem rei comprehendat:* mediatè tamen & consequenter etiam profunditatem complectitur, *quia tantam capacitatem habet, ut totum corpus locatum circumscribat. In hoc autem cum superficie longâ & latâ etiam juncta est profunditas, & consequenter omnes dimensiones corporis locus continet. Sic si quis globulum totaliter manu contineat, etsi immediatè extimam superficiem tangat, profunditatem, quae intùs clauditur, tangere nequeat: mediatè tamen & consequenter totum globuli corpus continet, sicq; in eo & profunditatem complectitur.*

LXII. 4. Si locus est superficies. *E. mutato loco mutari oportebit superficiem. At hoc non. Sic si vas vini transferas de loco in locum, mutabit vinum locum, non mutatâ superficie, quae intra vas continetur. Sic pecunia in marsupio, aqua in urceo, vinum in utre deportantur, & loca mutant retentis iisdem superficiebus. E. nec locus superficies. Ita* Mendoza 14. Phys. §. 2. R. 1. Locus formaliter continentia in superficie est, non ipsa superficies. *Sic mutato loco continentiam illam cessare oportet, acquiri aliam. In allegatis exemplis comparatio aliena est. Vinum in vase a. utre, pecunia in marsupio, aqua in urceo, propriè non mutant loca, sed vas, uter, marsupium, urceus. Haec deportantur, & haec propriè mutant loca. Aqua, vinum, pecunia, sunt contenta eorum, quae transportantur, & loca mutare dicuntur mediatè, in urceis, utribus, vase, &c. non immediatè in se, eodem n. termino clausa manent.* 2. Et res contentae mutare *dici loca possunt, quà novas aliasq; à priorib. ubicationes & praesentias*

loca-

locales in ordine ad alia externa circumstantia acquirunt, ut cum ex uno conclavi in aliud, è domo in domum transportantur. Sed in eodem loco manere dicuntur sensu magis morali, quàm Physico, in ordine ad intentum humanum & memoriam nostrã, ubi ea manere, & reposita esse scimus & meminimus, indeq́ ad nostros usus depromere possumus, etsi physicè præsentias & ubicationes fortaßè mutaverint. Tum a. res mutare locum dicitur, cum præsentiam localem aliam & *ubicationes alias acquirit, etsi terminos ambientes proximè continentes fortaßè non mutaverit.* Conf. th. 60.

LXIII. 5. Si locus est superficies ambientis, *cur duo vasa ejusdem quantitatis non tantundem aquæ recipiunt, quando in unius medio lapis ex filo suspenditur, cùm superficies ambientis in vase, quæ loca aquæ esse dicuntur, eædem & invariatæ maneant. Nulla alia hic ratio, nisi cum superficie & spatium intra superficiem contentum pro loco assumendum esse.* R. Ratio ex eo est, *quòd locus terminet locatum non secundùm solam superficiem, sed & profunditatem. Omnes n. locati dimensiones continet.* V. §. 61. *Si quid ergò intercurrat, quod locati crassitiem impediat, locari in tantâ superficie non poterit, nisi amoto crassitiei impedimento, etiamsi superficies quà longum & latum spectata æqualis manserit. Corpus n. non per duas, sed omnes dimensiones locum suum occupat. Non oportet ergò* ullius dimensionis impedimentum intervenire, *si æquale corpus æqualem locum cum altero occupare debeat. Sic in vase vacuo, ubi nullus lapis. At ubi hic injectus, corpulentiæ aquæ obstaculum ponit, suâ crassitie jam tantum loci occupans, quantum respondens ei aquæ corpulentia occupare potuisset. Ideò aqua tota vas ingredi non potest, quia corpulentia unius impedit ingressum alterius. Et hoc tàm in medio suspensus, quàm ad latera appensus, aut in fundo demersus lapis faciet.*

LXIV.

LXIV. 6. Si locus terminus, *proximè partes locabuntur, quia terminantur. R. proxime partes continguntur, primò totum locatum continetur, & sic locari dicitur.* V. §61.7. Idem Corpus *in duob. tribusvè locis simùl naturali modo erit. R. propriè in duob. a. plurib. particulis terminantibus, unum locum totalem & adæquatũ in uno toto facientib. erit. Sic caput. pedes, diversos terminos habent: homo totus unum, qui locus ejus.* 8. Loci erit locus, *nam quantitas superficies: & hæc in loco. R. Locus superficies ex materiali est: ex formali terminatio & circumscriptio in & ex illâ est.* §. 57. 60. Plura in discursu.

LXV. Ita & secunda definitionis pars in esse alicubi circumscriptivo confirmata, quâ circumscriptivum in spatio circumscribente seu loco esse posse, & per naturam sui postulare dictum fuit. Jam de tertiâ parte aliquid considerandum restat, *quâ in spatio* circumscribente Ens materiale esse per naturam sui postulare dicitur, non spatiis circumscribentibus, ut naturâ sui corpus unum simùl semelq; nonnisi unum spatium circumscribens occupare possit, adeoque nonnisi in uno loco esse possit. *Hoc ex naturâ sic esse nemo prudens dubitat. Cognitumq; illud &* Gentilibus *fuit.* Plaut. in Amphitr. a.2.s.1. Tune id dicere audes, quod nemo unquam homo antehac vidit? Nec potest fieri, tempore uno homo idem duobus locis ut simùl sit. Aristippus *cuidam interroganti, num tu es ubiq;? Naulum, inquit, non perdo, si sum ubiq;. Eludens sophisticam quæstionem, num unum corpus diversis locis esse queat, dum respondit, non esse periculum, ne perdat naulum. Perdit enim naulum, qui dato pretio non pervehitur eò, quò vult.* Erasm. 3. apopht. in Aristid. §. 44. Aristoteles *passim corpora in loco, unum quodq; suo, esse ait, non locis.* 4. Phys.

c. 3. 4. 5. 6. *Negat, duo corpora simùl in uno loco esse*, c. 3. t. 27. E. *& unum corpus in duobus locis esse negabit. Par enim horum est ratio.* Naturaliter quidam fieri posse senserunt, *ut duo corpora in eodem loco essent, ut* ex Alexandro & Fernelio referunt Conimbricenses 4. Phys. c. 5. q. 4. a. 1. & Cor. Martini d. analy. mat. c. 5. *Hi etiam fortè concesserint, unum corpus in duobus locis simùl esse posse.* Communis tamen sententia est, *naturaliter neutrum fieri posse.* Nec duo corpora simùl *in uno loco esse, per quantitatem n. se mutuò excludunt, ut quod spatium una moles occupavit, in eo alteram coëxistere non patiatur:* Nec unum corpus in duobus locis esse, *mole n. quantitatis ita uno loco circumscribuntur, ut simùl extra terminum circumscribentem esse non possint. Nec de* naturæ vi *hic multum altercandum, cùm extra scopum quæsiti id fuerit. Non inter nos & dissentientes id quæritur.*

LXVI. Exempla *quidem Nonnulli proponunt quorundam, qui simùl in duob. locis visi fuerint.* De S. Ambrosio *refert* Antoninus p. 2. tit. 10. c. 11. *quod simùl Mediolani divinis rebus adstiterit, & Turonis exequiis S. Martini interfuerit.* De Severo *Papistæ tradunt, quòd Ravennæ coram altari steterit musificans, & deductioni ad Sepulchrum S. Vldarici Augustæ interfuerit. De sacrifico quodam Halberstadiensi* Johanne Teutonico *iidem tradunt, quòd nocte natalitiâ tribus in locis, Coloniæ, Moguntiæ, & Halberstadii, missam celebrârit, Annó 1271.* Wierus d. præst. dæm. Finck. d. Cœna c. 12. §. 4. *De milite quodam, Paschali Vivâ, ex* Orosio Chavassius lib. 1. d. not. relig. c. 14. n. 4. *narrat, quòd simùl templo in missâ interfuerit, & in pugnâ hostes trucidare visus sit.* De Magdalenâ Cruciâ *moniali Hispanâ traditur, quòd cùm Diabolus specie Aethiopis ei commisceretur, aliam interea specie

cie Magdalena statueret, quæ velut ipsa præsens adesset, cantavit, oravit, comedit, & per 30. annos hoc repræsentavit. Zuingerus Vol. 5. l. 4. *De Antonio Paduano narrant, quòd simul in pulpito concionatus sit, & in monasterio lectionem in choro cantârit. De Franc.* Xauerio *in duabus tribusvè occasionibus simile tradunt* Arriaga d. 14. Phys. n. 132. *Verùm quidquid de exemplorum horum veritate sit, per naturam factu id impossibile esse communis benè sentientium consensus habet. Ad exemplum* Ambrosii *ex Ægidio reponit* Masius d. I. s. 2. q. 5. *visionem imaginariam fuisse, non reale factum. Dum sacrum egit Ambrosius, dulci quodam sopore correptus tam clarè in imaginatione repræsentatam sibi vidit sepulturam Martini, ac si præsens ei interfuisset. Imò, hæc ficta sunt, & commentitia. Nam* Ambrosius 5. annis ante Martinum obiit anno 397. *Martinus anno* 402. ut Baronius *habet. Nec interesse ergò hujus sepulturæ, nec repræsentari illi potuit. Cætera suspectæ fidei sunt. Potuerunt phasmata rerum utcunq; repræsentata esse, & Sathanas spectrorum præstigijs intuentium oculos eludere potuit. Quod in seculis istis superstitionib. plenis non infrequens fuit. Verè n. corpus unum diversis locis sisti, ne per magicam & Sathanæ vim licere, utrinq; consensus est.* Sed nec id quæstionis est, *an corpus unum in duobus locis partialibus & inadæquatis simul esse possit. Hoc n. & per naturam fieri posse supra* §. 64. *visum, & ab utraq; parte conceditur.*

LXVII. An tamen per nullam potestatem fieri possit, ne divinam quidem, ut verum corpus vel spiritus finitus multis in locis spatijsvè verè simùl sistatur, *ulterioris est indaginis?* Reformati communiter *pro absolutè impossibili id habent, & verissimam contradictionem in esse rei implicare sentiunt. Ex multis* V. Zanchium d. nat. DEI l. 2. c.

6. q. 4. & l. 2. d. oper. 6. dier. c. 11. Martyr. class. 3. L. C. loc. 15. §. 65. 66. & in Dialogis, Bezam in colloq. Mompelgart. d. Cœnâ & pers. Christi, Creophagia, c. Hofmannum, & alibi. Pareum in 1. ad Corinth. 11. q. 5. Junium anim. in Bellarm. l. 3. d. incarn. c. 18. Alsted. p. 5. Theo. Polem. class. 3. q. 9. 16. & class. 7. q. 3. & 14. & in supplem. T. 4. panstrat: Chamieri c. 5. 6. Sadeelem d. veritat. hum. Christi. Polyandr. tr. Theolog. mis. c. 6. Thalmannum assert. d. pers. Chr. p. 102. seq. Tigurinos in apolog. c. des. Jac. Andreæ. p. 51. 52. 82. 85. & alibi, Martinium lib. 2. Theolog. c. 16. 23. & passim: Chamierum T. 2. l. 6. d. Christo c. 9. 10. 11. T. 3. l. 10. c. 17. §. 2. Amesium lib. 1. medull. Theo. c. 23. §. 8. & lib. 3. Bella. eneru: c. 3. Vorstium, *tùm, cum ista scriberet, adhuc* Reformatum, T. 3. in Bellarm. Contr. 3. t. 1. 2. Keckermannum l. 1. Log. s. 1. c. 12. §. 6. & tr. d. localit. Cor. nat. c. 2. §. 3. Goclenium præf. Conc. Philos. Crocium p. 2. Conu. Prut. & def. con. Prut. con. Mentzerum c. 4. Crellium Vindic. c. Valentiam c. 2. Sohnium ex. in A. C. art. 3. p. 389. seq. Gorlæum ex. Phil. 10. s. 1. *& seqq. Multi nec* à convitijs *temperant ob multi vel omnipræsentiam de corpore Christi à Nobis assertam.* Amesius c. 1. med. §. 30. *stupidam quandam insaniam vocat, quæ non multum abs it à blasphemiâ.* Et l. 4. d. Consc. c. 4. §. 11. pertinaciter defendentes Ubiquetatem humanitatis Christi, non posse ab hæresi excusari *ait, quia illa sententia directè evertat humanam naturam Christi.* Keckermannus tr. d. local. & quant. c. 2. §. 3. Recentes Eutychianos nos vocat. Hanefelt im wegweiser p. 411. *æternùm damnari nos oportere ait, quòd à vero Deo defecerimus.* Paræus in Testamento T. 1. Op. Exeget. præfixo *ex animo se detestari novos illos ac horrendos errores de ubiquitate veri & essentialis corporis*

poris

poris Christi, deq́ ejusdem corporali præsentiâ, & orali manducatione sub nummulari hostiâ Cœnæ ait. Similia apud Joh. â Münster in can. latr. p. 24. 25. seq. Palatinos in respons. ad epit. Colloq. Maulbrunnensis, p. 358. Catechismo & breviario Ubiquetistico, Dialogis Berlinensibus aliisque *scriptoribus reperieris.* Reformatis *in negandâ rei hujus possibilitate junguntur* Photiniani, *ut ex scriptis eorum apparet.* Vide Crellium l. 2. uno Deo. s. 3. Conclus. p. 627. 628. Smalciũ in Catol. error. Smiglec. refutationi de errorib. Arian. præmisso, n. 90. & l. 1. d. err Arian. c. 18. p. 164. Ac dis. 3. c. Frantz. t. 74. Socinum disp. d. Chri. naturâ p. 15. *aliosq́.*

LXVIII. Nostri *ex adverso sentiunt, nec impossibile id DEo, nec veram contradictionem in esse rei implicare arbitrati. Consentientes hic sunt* Scholasticorum pleriq;, *& eos secuti Iesuitæ, quantum ad* multipræsentiam *corporis, ut* §. 89. *constabit. Ex mysteriis fidei, ut Cœnæ, & sessionis ad dextram DEI in Christo, non impossibile id DEo esse ut arbitremur, inducimur.* Tota difficultas in validis argumentis *adferendis consistit, quibus induci possint Reformati,* ut non impossibile hoc DEO, nec verè contradictoriũ esse, consentire incipiant. Vulgatissimè *ad unionem personalem in Christo, sessionem ad dextram DEI, exaltationem super universa, veritatem Verborum institutionis in Cœnâ decurritur, indeq́ tela promuntur. Sed multa hic controversiis obsita: & directè status quæstionis non tangitur.* Non quæritur *jam*, an in Christo *ita de facto sit, ut corpus ejus multis in locis præsens sit? Hoc peculiaris quæstio est, & sic seorsim determinandum.* V. §. 124. Hic generalius quæritur: An in ullo corpore universim id DEus potestatis absolutæ imperio effectum reddere possit? *Et* de possibili est quæstio, non facto. *Nec quid DEus facere queat, cum eo, quod in aliquo crea-*

creato fecerit, confundendum, etsi cognationem invicem habeant. Aliud, *quid absolutè DEus in corpore operari queat:* aliud, *quid de facto singulari isti corpori humano Christi indulserit. Illud quærimus, non hoc. Illud & ex parte è naturali luminis judicio notum habere, excutere, & decidere possumus: Hoc* ex solo revelationis superioris lumine cognoscimus. *Sic aliud, an plures mundos Deus posit facere, aliud, an fecerit? Pro diversis istis statibus* diversis decisionibus *res expedienda venit, & de distinctis distinctè agendum, non unum cum altero confundendum, quod* communiter in hoc quæsito fieri solet. *Vt distinctè ergò procedatur,* sequentibus distinctis positionibus, *quid commodissimè hic sentiri posit, peculiariter explicare, quantum potero, annitar.*

LXIX. Dico I. Potest DEus absolutâ potestate corpus aliquod in multis locis simùl sistere, nec in eo vera est Contradictio. *In hac assertione cardo totius rei consistit, eaq́ confirmatâ res ipsa facilè patebit, ac de sequentibus assertionibus minùs dubitare opus fuerit. Observanda autem hic censemus sequentia.* 1. Hæc disceptari cum Christianis, *qui mysteria fidei cognorunt & præsupponunt, ut Trinitatem, Incarnationem, Resurrectionem, &c. Apud hos omninò his argumentis credibile fieri potest, DEum corpus unum in aliquot locis simùl ponere posse. Apud* gentilem, *qui nihil Christianæ fidei novit aut assumit, aut* Photinistam, *qui Trinitatem, incarnationem, &c. non credit, & resurrectionem ejusdem numero Corporis absolutè impossibilem censet, ex generali potestatis divinæ & non implicatæ Contradictionis fundamento procedendum.* V. §. 83. 84. *Iam cum* Reformatis *inprimis procedendum, qui potiores hic Adversarij, & quorum gratiâ hæc materia primùm post reductum Evangelium disceptari cepta.* 2. Non hæc ut articulos fidei disceptari, *sed ut difficul-*

ficultates aliquas occasione punctorum fidei ortas, motas, disceptatas, ac ad fidei defensionem & explicationem necessarias. Cum fides ipsa in simplicitate sit. τὰς ἐν ἅδου τριακάδας, *ut* c. 1. *dictum, hic disceptamus, non fidei substantiam.* 3. Dissensum in his omninò ferendum, *Cum nec omnes omnia capere queant, nec de omnib. omnes idem sentire a. judicare possint. Nec nostra adeò firma, ut nihil reponi possit: Nec aliorum ita infirma, ut mereantur contemni. Ad ultimum* scripturæ simpliciter credendum, Etiamsi nec specialia omnia assequamur, nec in his subtilitatibus exitum inveniamus, *nec ad omnes rationu intricationes ad ultimum respondere queamus. Quod* multi Nostratium *præclarè suadent & monent, Vt multis* peculiari libro suo loco *ostendam.* Argumenta *autem confirmandæ assertionis sumam* 1. Ex *hypothesibus ab ipsis Reformatis concessis.* 2. Evidentib. *quibusdã rationibus partìm ex scripturâ, partìm ex naturâ collectis.* 3. Testimoniis *ipsorum Reformatorum.* 4. Testimoniis *Patrum & Scholasticorum.* 5. Adumbrarionib. *& similibus quibusdam, quibus ad non incredibile hoc habendum induci possimus.*

LXX. Ex Hypothesibus Reformatorum *sic argui potest.* Ex communi nostrâ cum ipsis fide *in supernaturalibus fieri creduntur longè magis incredibilia, quàm hoc est, corpus aliquod in duobus locis statuere, & in divinis illa fieri posse nobiscum fatentur Reformati. E. & minùs incredibilia in ijsdem & eâdem potestate fieri posse, non debent simpliciter negare. Consequentia est firma. Nam ubi procedunt minùs credibilia, procedunt & magis credibilia. Si in competente rerum genere & circulo maneatur. Sic si DEus potestate suâ ex nihilo aliquid facere potest, E. & unum in aliud mutare potest, nam illud longè majus, & ut fiat, incredibilius est, quàm hoc. Et qui credit magis incredibilia, induci potest, ut cre-*

credat minùs incredibilia, *juxta illud* Logicorum: Si id inest, quod minùs credibile est inesse, magis id inerit, quod magis credibile est inesse. *Vt si puer callet Metaphysicam, quam minùs credibile est eum callere, magis callebit Grammaticam, quam magis eum callere est credibile.* Antecedens probo per sex sequentia membra. Reformati credunt & nobiscum profitentur *mysterium Trinitatis personarum in unâ numero essentiâ divinâ, mysterium creationis rerum ex nihilo, mysterium incarnationis & unionis personalis in Christo, mysterium sessionis in humanitate Christi ad dextram DEi, mysterium redactionis rerum in nihilum*, saltem de possibili, *mysterium æternitatis divinæ simùl omnibus temporum differentijs coëxistentis, & mysterium resurrectionis corporis mortui ejusdem numero in novissimo die. Et hæc omnia divinitùs fieri posse, & in mysterijs fidei de facto ita esse Reformati consentiunt. At hæc omnia incredibiliora sunt, quàm corpus in duobus aut pluribus locis sisti, & si ratio verbo DEi illustrata non sit, longè absurdiora ista enumerata habebit, quàm hoc, de quo controvertimus. E. & hoc DEum posse non incredibile judicare debent.*

LXXI. Chamier T. 2. l. 6. c. 10. §. 30. excipit, *Consequentiam à majori ad minus Topicam & probabilem esse, non necessariam, nec certi quid hinc inferri. Sic datam homini à Creatore rationem, majus, non statim dotes brutorum omnes, minus. Post peccatum homini immortalitatem animæ relictam, corporis non.* Deinde *& antecedens falsum esse. Enumerata non esse difficiliora creditu, non enim implicare Contradictionem, ut corpus in multis locis: & cætera subjici omnipotentiæ DEi, sed contradictoria non, utrinq; consentiri.* R. Hæc *partim scopum non tangunt, partim principiũ petunt.* 1. Non arguimus à majore in re ad minus in re: *scimus, hanc*

hanc Consequentiam laxam ac valdè vacillantem esse, cumprimis si mutentur rerum genera, quod in exemplis Chamieri fit. Vt, Alexander M. potuit regere integrum exercitum, quod longè majus in re est. E. & potuit instituere Alphabetarios, quod longè minus. Non ita Nos: Sed procedimus à minus credibili, quod conceditur, ad magis credibile, quod concedi renuitur, *& potius, quàm prius, concedi deberet, in eodem genere manendo, i. e. de vi & circulo divino procedendo. Quia* Reformati *credunt, posse DEum unam numero essentiam in diversas personas multiplicare, magis credere deberent, posse unum corpus in diversis ubi statuere, quia illud incredibilius, quàm hoc. Hic noster scopus.* In realibus *sæpè fallet. Sic DEus homini ratiocinari dedit, non tamen rugire aut latrare.* 2. Quod in Topicâ *illatione sub formali probabilis assumitur, extra eam necessariæ veritatis esse potest, ut alibi ostensum*, d. 14. Gym. Log. t. 9. *Idem de hoc principio, si minus credibile inest, magis inerit magis credibile, asseri potest. Habito respectu ad præsens negotium, de quo formatur, necessariæ veritatis esse potest.* 3. Enumerata *non esse magis incredibilia, postea in speciali discussione falsum esse apparebit. Quòd in illis vera Contradictio non sit, fatemur. Quòd in nostro negotio vera sit, hypothesis tantùm Reformatorum & petitio principij est, quam nos negamus. Hic illud intendimus:* Ut Reformati in istis *non curant Contradictiones à ratione speciosè assertas: sic nec in nostro puncto curare deberent, Vtcunq; ratio variè illis hic ludat. Fides evertit* λογισμὲς *adversus cognitionem DEi,* 2. Cor. 10. v. 4. *non illis succumbit.*

LXXII. Jam per singula membra *probandum, enumerata illa longè incredibiliora magisq; impossibilia videri, quàm corpus in pluribus spatijs præsens facere.* 1. Mysterium Trini-

tatis postulat, *tres personas unius numero & individuæ essentiæ esse. Essentiam summè unam, imò* ipsam unitatem, indivisibilitatem, & simplicitatem, *in tres hypostases realiter diversas dispergi. Istas hypostases à se realissimè differre, oppositis relationibus sibi opponi, ut una simpliciter nequeat esse altera, essentiæ autem realissimè identificari, ut in quavis persona tota & totaliter sit essentia divina, & multiplicari tamen personas in trinitate, essentiam simplicissimè indivisam manere in unitate. Quamlibet personam totam essentiam amplecti, non partem ejus: nec tamen ad multiplicationē personarum multiplicari essentiam, sed unam numero & individuam manere. Patrem generasse filium, qui totam eandem numero essentiam divinam habeat, quam pater; Nec tamen filium generando generasse seipsum. De personis oppositas relationes enuntiari posse, quæ non de essentiâ possint. Patrem esse Deum, filium esse Deum, Spiritum S. esse Deum, nec tamen tres Deos esse, sed unum numero. Patrem eandem habere essentiam, quam Filius & Spiritus Sanctus. Sed in Patre generantem esse, filio generatam, Spiritu S. spiratam, ita tres diversissimos imò oppositos modos habere, eandem tamen numero manere. Hæc omnia ratio sibi relicta pro absurdissimis, & contradictoriis, habebit, ut inter cætera,* missis gentilibus, Photinianorum *scripta satis evincunt, quomodo perpetuis contradictionibus dogma Trinitatis astringere velint. Vide* Smalcium l. 1. d. error. Arian. c. Smiglec. c. 18. & lib. d. div. verbi nat. c. 3. p. 12. & p. 1. resp. ad monstr. Arianis. c. 7. Goslauium p. 1. c. Keckerman: p. 4. 5. 6. 42. 79. seq. & con. Jacob. Martini p. 1. c. 15. Socinum in responsione ad arg. pro Trinit: p. 42. seq. & libr. quòd Euangelici, c. 4. Crellium in libris de uno Deo Patre per totum, Anonomum resp. 1. ad paræn. Volani p. 15. 16. *aliosq. Et tamen*

non

non attentis istis rationis contradictionibus idem mysterium possibile esse, & de facto in S. Trinitate obtinere judicant Reformati, *ac nobiscum contra* Socinianos *defendunt*, *ut* Junij def. Trinitatis, Zanchy, Parei, Sohny, Alstedii, Bisterfeldii, Martinii, *aliorumq́ scripta demonstrant. E. & in pari casu impossibilitatem statuere non debent, cum corpus in duobus pluribusuè locis â Deo statui citra contradictionem posse docemus, subsistentias n. multiplicare non multiplicatis essentijs, incredibilius est, quàm loca, non multiplicato corpore. Longè enim* arctiùs essentiæ cohæret personalitas & subsistentia, tanquam modus intimè essentiam determinans, & realiter ab eâ non diversus, quippe cui realiter identificatur essentia: ac locus corpori, *externum & circumstans accidens, ex circumjacentia contiguorum corporum sumptum, sine quibus locus verus nullus est, ut* § 58. 59. *ostensum: Quodq́ realiter corporis naturæ nunquam identificatur, ut essentia divina personæ divinæ, sed semper realiter diversum ab eo manet. At prius potest DEus, judicibus ipsis Reformatis. E. & posterius, quod levius est, negare non debent.* Ulteriùs: Qui multiplicare potest internum in re, & quod penè essentiam ipsam ingreditur, *ac realiter ei idem est, non multiplicatâ essentiâ, is & externum in re & realiter ab essentiâ rei diversum multiplicare poterit, non multiplicatâ ipsâ essentiâ, nec implicatâ Contradictione. Plus enim interni ratio in re importat, quàm circumjacentis & externi. Sed Deus prius potest, personas in essentiâ diuinâ. E. & posterius, loca in corpore multiplicare, quæ externa & realiter â corpore diuersa sunt.*

LXXIII. Dices 1. Est diuersa ratio. Deus est infinitus, & simpliciter immensus ac simplicissimus, *ideò diversæ hypostases vnam eandemq́ essentiam similiter infinitam &*

simplicem participare possunt. Sed in corpore est finitudo, compositio, continuitas, localis extensio, quæ realem in diversis locis existentiam omninò prohibent. Si infinitum vel multiplex fiat corpus, in multis locis simùl sisti posse nihil absurdi importabit. Ita Alstedius in supp. Chamieri c. 6. §. 36. *R. Hæc diversitas* nervum *argumenti non incidit. Scopus in eo est, quòd internum quid essentiæ & realiter ei identificatum per mysteria fidei multiplicari credatur, essentiâ non multiplicatâ, nec admitti credatur contradictio: Et per potestatem supernaturalem externum quid in re multiplicari posse, non multiplicatâ re ipsâ, nec importari contradictionem, credi renuatur & impossibile judicetur. Hic jam major impossibilitas in priore, quàm posteriore. Et prius tamen possibile creditur. Cur posterius tale negatur? Quòd una res infinita, altera finita sit,* ad materiarum, *de quibus infertur,* diversitatem pertinet, nostram arguendi intentionem non infringit. *Paritas utriusq; in eo est, quòd ob Contradictionem implicari visam in Trinitate, Eam non impossibilem judicent Reformati. Idipsum in simili casu de multipræsentiâ Corporis DEO possibili statuere debere.* Et ut *ibi essentia infinita: Sic in nostro Casu potentia infinita, ut & quoad infinitatem paritas aliqua in exemplis, unde arguitur, inveniatur.*

LXXIV. 2. Essentiæ & personæ divinæ non sunt factibile quid, *nec objectum potestatis divinæ, quæ circa factibilia occupatur, sed simpliciter essentialia & necessaria, quæ DEus nec faciet, nec facere potest. E. nec instantia ab illis ad factibile quid, quale esset, corpus in multis locis sistere, si fieri posset, deducenda.* R. *Instantia & comparatio sæpè à rebus toto genere diversis sumitur.* §. 94. *Et nec hic confertur factibile præcisè & rigidè dictum, cum alio factibili & objecto potestatis divinæ: sed simpliciter argumentum ducitur à magis*

in-

incredibili, quod Reformati & esse, & esse posse *citra contradictionis implicationem, consentiunt, ad minus incredibile, quod ipsi simpliciter esse non posse contendunt. Et ostenditur*, ipsos magis absurda rationi credere, & contradictionem non implicare assentiri. *Non ergò circa minùs absurda adeò rigidos esse debere, ut potestati divinæ simpliciter ea subjacere negent, sed potiùs contradictionem, quæ inesse videtur, contemnendo, faciliores in assentiendo se præbere æquum ostenditur. Sive factibile sit unum, sive utrumq;, generaliter saltem terminus factibilis usurpatur*, pro eo, quod est vel esse potest, *adeoq; in rei veritate ita se habet. Sive aliâs specialiter objectum potestatis divinæ sit, sive aliud quid sit, hoc nerυum nostrum non rumpet.* Dico, tres personas in *unâ numero essentiâ subsistere, rationi longè absurdius & impossibilius judicari, quàm unum corpus duobus pluribusuè locis salvâ sui unitate coëxistere. Sed* prius non impossibile judicant in rebus supernaturalibus Reformati. *E. nec posterius simpliciter inter impossibilia referre debent. Hic nervus & scopus est. Cætera jam in indifferentibus.* 3. Essentiam divinam in tribus personis unam esse *de facto ita se habere clarissimè in sacris est revelatum, vnde fide credendum, nec contradictio in eo locanda. Sed corpus in multis locis esse verè contradictorium est, nec ita revelatum, ut illud, & totum adhuc controversum est. Non ergò ab illo ad hoc argui potest. R. Etiam aliquod corpus humanum, ut Christi, in multis locis simùl præsens esse in sacris revelatum est, ut* §. 124. *patebit. Etsi controversum id ex suis hypothesibus faciant Reformati, nihil id revelationis veritati adimit. Nam &* Photiniani *Trinitatis mysterium Controversum faciunt, negantq; revelatum, quod parùm curatur à Reformatis. Par in hoc nostro est ratio: Nec nos curare debemus, quòd nostrum Controver-*

sum faciant. Satis revelationum in rebus fidei sacra interdum ministrant: Sed non æquè perspicaciter advertuntur ab omnibus. Caligant quidam ex infirmitate: alii ex malignitate. *Qui operta cordium scrutatur, suum unum quodq; patefaciet, quale opus exstiterit. Si in Trinitate non curant Contradictiones, Cur in multipræsentiâ tant operè eam urgent?* V. §. 73.
4. Essentiam divinam esse *quid commune, ideò in tribus hypostasibus variari posse. Corpus aliquod individuum esse, ideò nequeat pluribus commune esse, nedum locu.* Ita Chamier l. 6. c. 10. R. *Essentia divina est singularissimum quid & numero unica, & simùl tribus personis realiter differentibus, in essentiâ autem realiter identificatis, de nostrâ fide communicabilis. In eo ipso rationi est contradictio singulare esse, & simùl communicari aliis diversis posse, Ut Photinianorum scripta docent. Et plus hic contradictionis, unam numero essentiam in tribus realiter diversis personis esse: quàm unum corpus individuum in duobus locis simùl existere. Quia personæ magis essentiales essentiis, quàm loca corporibus.* §. 73.

LXXV. 2. Reformati credunt mysterium creationis rerum ex simpliciter nihilo & non ente. *At hoc fieri posse incredibilius rationi est, quàm corpus duobus locis constituere. Nam essentiam nancisci ex non essentiâ negativâ s. nihilo negativo, internum & constitutivum rei principium concernit, quo res esse incipit, cum simpliciter non esset, & fieri aliquid, cum nihil esset. Inter* nihil autem & aliquid, infinita est distantia, *quam suppleri ab aliquâ potestate posse difficiliùs capiet aut concedet ratio, quàm inter corpus aliquod & locationes in eo, ubi inter aliquid & aliquid semper manet proportio, quæ rationi credibilior & plausibilior. In locis pluribus consequens tantum quid in corpore concernit, locum & esse in loco, quod ex contiguitate tantùm corporum circum-*

cumjacentium oriri in corpore §. 6. seq. *ostensum. Facilius autem à DEo tolli aut mutari posse consequentia rerum perspiciet ratio, quàm constituentia, & quæ ipsas rerũ essentias à priori ingrediuntur. Ita propria divinitùs mutari & tolli posse ratio perspicit. Sed essentialia principia tolli vel mutari posse non ita perspiciet, Et reverâ impossibile est. Quia ergò ratio renata in mysterijs fide hoc credit in Creatione, ipsa rerum constitutiva è nihilo prodijsse, & cum nihilum essent, aliquid & essentias factas esse, sic nihilum factum esse aliquid, & ex non ente negativo ens positivum: utiq; & illud credere debebit, posse illum, qui* ex non esse, esse facit, etiam esse conservare sine externo loco & hypothetico consequente, *& idem esse in pluribus extrinsecus & essentiam rei constitutivam non concernentibus constituere. Plus enim est, ex nihilo fieri aliquid, ex non Ente simpliciter, Ens reale & positivum, quàm ens factum in pluribus externis circumstantibus simùl poni. Prius DEus potest, ut Adversarij nobiscum fatentur. Et posterius ergò posse saltem diffiteri non debent.* Si ex nihilo, non ut nihilum *manet, quod contradictorium esset, sed ut transit & desinit esse, aliquid fieri dicas, hoc nullam contradictionem importare, & hoc rationem credere, corpus autem in pluribus ubi esse, ut unum corpus maneat, & hic contradictionem esse, cum* Chamiero c. l. *regesseris, parum hoc proficere sciendum fuerit. Dispar n. ratio est creatorum, & in diversis locis locatorum. Creatio est mutatio substantialis essentiæ rei ex nihilo in aliquid, & Creata ex nihilo esse incipiunt & existere, ideò existentibus his nihilum desinere oportet: Multilocatio est perfectio saltem accidentalis, substantia rei jam existente & manente, & locatum in diversis locis divinitùs non novum esse post non esse accipit, sic enim prius corpus desineret: Sed novum accidens manente priori*

cor-

corporis esse, novumq́ modum in pluribus essendi locis, salvo suo esse, qualia Deum infinita suâ vi in corpore uno formare posse non contradictorium Christiano habendum est.

LXXVI. 3. Mysterium incarnationis longè rationi incredibilius & contradictorium magis est, quàm unum corpus in duobus locis esse. 1. Quia *credendum, humanam aliquam naturam singularem esse sine propriâ hypostasi & personalitate.* 2. Hominem *integrum individuum aliquod esse sine personâ humanâ, h. e. Naturam sine intimo essentiali suo modo, qui personalitas, integram esse, cum modus ultimum naturæ complementum dans adeò per impossibile nequeat separari, ac ipsa essentia humanitatis ab homine separari nequit, si rationis judicio standum sit. Nec ratio vel factum, vel facti possibilitatem ullâ viâ ex suis principijs vestigare poterit.* 3. Hominem *in naturâ tantùm consistentem trahi in subsistentiam divinam & infinitam ipsius immensi Dei, tanquam partem personæ θεανθρώπου, & fieri partem suppositi infiniti.* 4. Divinā ac infinitā *naturam, & humanam ac finitam, in unam personam totali* περιχωρήσει *uniri & aggregari posse.* 5. Infinitè distantes *naturas unumcompositum personale constituere.* 6. Compositū *illud ex DEo & homine velut partibus personalibus constitui, & hominem verissimè DEum, & DEum hominem, Deum incarnatū, & hominem DEificatum personaliter & quâ ipsam subsistentiam esse. Hæc omnia* ratio pro absurdissimis & impossibilibus *habebit, quæ nec DEus ulla suâ potestate in actum ducere possit. Prout dogma hoc* Photiniani, *tanquam monstrosissimum, absurdissimum, & ab omni sensu humano alienum insectari solent, quod indignum sit, quod in verâ Christi Ecclesiâ locum habeat, ac Iudæos & Turcas à Religione Christianâ detineat,* V. Smalcium ref. dis. Grau. d. incarn. t. 1. & ad p. 2. ref. Smiglecii c. 17.

18.

18. & de div. ver. incarn. natura c. 8. Ut & l. 2. d. error. Arian. c. 8. ac homilia 8. in cap. 1. Johannis. Crellium l. 1. d. uno DEo f. 2. c. 32. & l. 2. f. 2. c. 5. &. f. 3. in Conclus. p. 629. Ostorodũ instit. c. 17. 18. 19. Socinum disp. de Chri. nat. p. 14. & instit. relig. Christ. p. 34. Anonomum p. 1. respons. c. Volanum p. 45. aliosque. *Et rectissimè hic* D. Mentzerus in AntiMart. p. 20. Nunquam persuaseris Aristoteli, vel si quis perspicacior, corpus finitum posse subsistere in infinitâ hypostasi. Dicet, te convellere totius naturæ fundamenta, si id affirmâris. Nec minùs hoc ipsum corporis naturam immediatè attingit, quàm corpus finitum non posse esse simùl in pluribus locis. Imò existentia corporis, quàm ejus quantitas, prior est & potior, sicut substantia prior est accidentibus. *Iam si DEus potuit incredibiliora, tollere subsistentiam propriam ab humanâ naturâ, & naturam in infinitam subsistentiam intimè pertrahere: poterit & minus incredibilia, ut locum externum à corpore tollere, & corpus ultra loca elevare, ac in duobus simùl sistere.* Plus enim distat persona divina ab naturâ humanâ, quàm duplex triplexuè locus ab corpore aut quanto. *Ibi finitũ & infinitũ in contentionem venit, hic finitum cum finito, substantia cum accidente. At Deus prius potuit in Christo præstare, & potuisse credunt nobiscum Reformati. E. & posterius eum posse non absolutè incredibile habeant.* Dices: In personâ ac naturâ divinâ *spiritualitas est & immensitas, ob quam aliam naturam simùl recipere & terminare potest. Sed in corpore creato neutrum illarum. E. nec duo loca terminare potest. Ita* Alstedius c. l. R. Ex hoc multò incredibilius fit Rationi mysterium incarnationis. *Si persona divina immensa est, multò minùs finitam naturam personaliter in se recipere poterit, ut pars suæ per-*

 sonæ,

sonæ, quæ infinita est, fiat, ac corpus finitum duobus locis coëxistere, ubi adhuc finitudo *manet. Plus enim immensum distat à mensurato, & infinitum à finito, ac corpus finitum à duobus tribusvè locis, qui etiam finiti. Et sic magis admits hac instantia* probabilitati possibilitatis in isto mysterio à ratione concedendæ, *quàm adstruit. Quæ* Chamier *hic reponit, nullius momenti sunt, & ex dictis facile constabunt. Nec in unione personali, nec in corpore in pluribus locis statuto, naturæ aut proprietates earum confunduntur.*

LXXVII. 4. Mysterium sessionis Christi ad dextram DEi incredibilius rationi est, *quàm corpus aliquod in duobus locis à DEo sisti. Sed hoc Deum in corpore Christi præstitisse credunt Reformati, Dum totum Christum ad dextram Dei sedere disputant, & corpus ejus eò evectum simul concedunt. E. & posterius non simpliciter improbabile habeant. Antecedens probo: Vt corpus ad dextram Dei sedeat, evehendum est* 1. Supra omnes creaturas, *etiam angelos. Nulli enim angelorum dictum, sede ad dextram meam.* Hebr. 1. v. 13. *Et quicquid nominari potest.* Ephes. 1. v. 20. 21. 2. Exaltandum *est ad ipsam potentiam & imperium divinum, cui universa subjecta sunt. Dextra enim Dei est dextra virtutis Dei,* Luc. 22. v. 69. *dextra majestatis in excelsis*, Hebr. 1. v. 3. c. 8. v. 1. 3. Dominari *oportet potentiâ & dominio divino, quod per substantialem præsentiam est, non absentiam. Sic enim sedere ad dextram Dei,* Psalm 110. v. 1. Paulus 1. Cor. 15. v. 25. *explicat. Iam plus est, & rationi incredibilius, corpus aliquod humanum super omnia creata evehi, ad potentiâ ipsam divinam exaltari, & ipsi regimini divino præfici, quàm in duobus locis à Deo sisti. Illud autem de Christi corpore, si dextra Dei ad mentem Scripturæ explicetur, negari non debet. E. & hoc de corpore Deum posse non impossibile*

judi-

judicandum. 5. Deum redigere *creata posse in nihilum nobiscum fatentur Reformati. Etsi enim de mundi corporibus dubitent, an de facto in novissimo die annihilanda sint, an in meliorem statum immutanda, quod potiùs sentiunt, de quo jam non disquiram, & res articulum fidei non constituit:* posse id tamen Deum, *si velit, confitentur. Sed ex aliquo nihil simpliciter facere plus & incredibilius rationi est, quàm corpus in duobus locis sistere. Annihilare enim essentiam rei* totaliter *destruit:* multis locis sistere tantùm ad plura accidentia, loca, determinat. *Plus autem est, simpliciter substantiam rei destruere, ut in nihilum redigatur, quàm accidentia circumstantia in re multiplicare. Unde Natura ab utroquè abhorret, & ex nihilo aliquid facere, & in nihilum aliquid redigere. Nec Philosophis ex solo naturæ lumine aliud hic cognitum.* Lucretius l. 1. Nullius exitium patitur naturа videri. Haud igitur possunt ad nilum quæque reverti. Persius sat. 3. Gigni de nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti. *Sed DEus prius in corpore potest, fatentibus* Reformatis. *E. & posterius posse non erit prorsùs contradictorium.*

LXXVIII. 6. Durationem aliquam omnibus temporum differentiis coexistere, nec tamen mutari vel fluere, sed semper eandem manere, *incredibilius est, quàm unum corpus multis simùl locis coëxistere, & tamen unum manere. Tempora enim fluunt, nec differentiæ eorum simùl manent, sed perpetuâ mutatione succedunt, sunt enim entia transeuntia, quorum esse in fieri & succedere est. Ubi præsens, ibi non præteritum aut futurum; Et ubi hæc, ibi non illud. Sed loca simùl permanent, etsi distincta & separata, sunt enim* entia permanentia, *quorum esse in persistere est. Sed* prius nobiscum fatentur Reformati *in divinis de æternitate, quam nunc immobile & instans semper permanens, adeoq́;*

toti tempori præsenti, præterito, & futuro coëxistere fatentur, ut nec ipsa per præteritum aut futurum simùl fluat, nec tempus interim hac durationis coëxistentiâ à fluxu perpetuo impediatur. Sed hoc rationi longè absurdius videtur, & contradictioni vicinius, quàm corpus duob. locis coëxistere, prout ex Contradictionibus, quas hic nectunt Sociniani & Vorstius, *patere potest.* V. dec. I. Misc. d. I. t. 42. *In divinis tamen fieri & esse nobiscum consentiunt* Reformati. *E. & minus incredibile de loci multiplicatione non simpliciter impossibile habeant.* Dices: Dicitur æternitas coëxistere τῷ fuisse, esse, & fore, *non formaliter, quasi illa in æternitate sint, aut simùl in eâ sint, sed virtualiter, quia virtute illis omnib. æquipollet æternitas, in quo nulla est Contradictio. Sic ipse Deus infinitus coëxistit creaturis finitis. Cur non & æternitas tempori? Ita Alstedius &* Chamier. R. Et in eo ipso rationi est absurditas, *quòd duratio aliqua virtute æquipolleat hodierno, hesterno, crastino, & ipsa in se non sit hesterna aut crastina, sed semper eadem & nunc immobile. Hoc ipsum ratio* sibi relicta incōsistens esse dicet. *Si æternitas esset nunc semper manens, & simùl fuisse, esse, & fore formaliter in eâ essent*, apertissima esset Cōtradictio & in *differentiis temporum, quæ succederent & simùl essent? Et in æternitate, quæ immobilis esset, & simùl præsens, præteritum & futurum admitteret, quæ ipsa motuū fluentiū sunt differentiæ. Quæ apertè implicant. Iam quòd virtualiter ista duratio temporū fluxibus æ*quipollere *debeat, etiam satis inconsistens ratio arbitrabitur. Substantiæ sibi coëxistere possunt, quia sunt entia permanentia, ut Deus & creaturæ. Sed tempus est* ens fluens & transiens, *quod nunquam totum simùl est, sed perpetuis fluxibus decurrit. Et aliquam totā simùl coëxistere durationem, ut ipsa non mutetur, & nec tēpus in fluxu perturbetur, omninò incredibile habebit ratio.*

LXXIX. 7. Reproduci idem numero corpus & bis fieri

fieri in diversis temporibus rationi impossibile & *Contradictoriũ videtur*, à Reformatis *tamen in mysterio Resurrectionis mortuorum creditur.* Unum enim idemq; numero esse, & bis fieri *seu produci, rationi aliud videri nequit, nisi contradictorium: maximè si addatur*, corruptum & reductum *idem numero esse. Nam 1.* Quod bis producitur, *binis actionibus producitur. Quod à duplici actione pendet, quomodo non duplex est? Actionis enim terminus est id, quod per eam actionẽ producitur. Sic quod bis scribitur, quomodo non duplex numero scriptũ est? Quod bis pingitur, quomodo non bina numero imago, etiamsi alterã earum postea aboleas aut occultes. Si homo binâ nativitate generetur, quomodo non duplex homo, etsi alter moriatur postea?* 2. Quod essentialiter corruptum est & *novâ actione, ut resuscitatione, reproducitur, quomodo non diversum numero à priori. Sic figura, quantitas, color, corrupta & iterum restituta, quomodo non alia numero à prioribus? Hic ratio nihil, nisi Contradictiones reponet, si una eademq; numero esse dicas. Et Contrarietates hic nectere solent de resurrectione ejusdem numero Corporis* Sociniani V. Smalcium c. D. Franc. d. 7. t. 86. Et p. 407. 408. 415. exam. 100. error. Simiglec. p. 36. *Confer &, quæ* Scheckius in AntiSimonio f. 9. Taurell. d. re. æt. p. 620. Gorleus exez. 12. *disputant.* 3. Corruptum esse & discreto tempore redire, *adeoq; bis existere, hoc tempore, & post resurrectionem mortuorum, & tamen unum numero esse, simul stare non posse judicabit ratio, sed Contradictoria asseret. Tempora enim discreta sunt, & transeunt, non manent. Non obstantibus tamen omnibus his Contradictionib.* Reformati *nobiscum id possibile DEo credunt. E. & alterum non simpliciter impossibile ducent, corpus duobus locis simul divinitus existere. Non enim intimior substantiæ affectio locus est, quã tempus. Ergò ut unum corpus manet, etsi sub diversâ temporis differentiâ reducatur.*

catur: Ita & unũ corpus, etsi diversis locis simùl subesse queat. Dices: 1. Reproducitur idem corpus à DEo, *sed diversis temporibus. Corpus autem unum duob. locis statuitur uno tempore. Itaq; collatio impariũ est. Ita* Alstedius *c. l. R. Non tangitur scopus difficultatis. In eo ipso est contradictio, quòd in diversis temporibus, & per diversas actiones unum numero effectum fieri posse citra contradictionem credere debeamus. Hoc enim ratio impossibile esse dicet, ex ante dictis. Ita in simili, etiamsi ratio unum corpus simùl in duobus locis poni impossibile proclamet, non debet hoc divinitùs impossibile judicari, ab ijs, qui prius fieri posse hic confitentur. Quod corpus simùl in duobus locis ponatur, in eo credendi difficultas est, adeoq; ex majore difficultate possibile arguitur, quod in diversis temporib. unum numero corpus corruptũ & reductum credatur, quod creditu difficilius est. Loca manent, nec pugnant simul quà existentiam, sed situm tantùm, eoq; simul in illis corpus poni dicitur. Tempora transeunt* & pugnant simul quà existentiã, *& unum non est alterum, eoq;* non in diversis temporib. unum numero corpus produci potest. *Si diversis temporibus bis fiat, jam unitas numerica per rationem tolli videbitur.* Dices 2. Nõ bis fit unum corpus, *sed instauratur ac restituitur semel factum, ut in Lazaro & Christo apparet. Ita* Chamier. *R. Atqui quomodo non bis fit, quod duabus actionibus specie, numero, tempore diversis fit, generatione, & resuscitatione? Apparentia externa ejusdẽ corporis parum juvat, Etenim idem numero negabit ratio, esse, corruptum & reductũ, mortuũ & vivificatum, velut mortuũ & vivum, cadaver & animatum, cicatricem in vivo & cadavere eandem numero esse, negat. Nec simpliciter restituitur semel factum: Sed quod* substantialiter corruptũ erat, *denuò reducitur, quod secundò fieri ratio esse dicet, & unitatem numericam tollere asseret.*

LXXX. *Exegimus* primam classem argumentorum

pro

pro non impossibili πολυτοπία *corporis, ab hypothesibus Adversariorum cum nobis communib: desumptam.* Solent alii addere & penetrationis corporum possibilitatem, *& duorum in uno loco existentiam divinitus procurandam. Sed quia hæc* apud Reformatos *locum non inveniunt, in primâ serie rationum adduci non debent, ubi ex* utrinq; concessis *argumentari præmisimus. Subjungamus nunc* classem secundam, è rationibus partim è Scripturâ, partim Naturâ deductis. 1. Quod Deus de facto aliquando præstitit in corpore aliquo, id eum præstare posse *apud Christianum* extra dubium est. *Factum enim rei præsupponit veritatem potentiæ agentis. At DEus in Christi corpore aliquando præstitit, ut simùl in Cælo & terrâ esset, cum Paulo appareret in via.* Act. 9. v. 4. 17 c. 22. v. 14. *Ergò eum id præstare posse nullum dubium est. Circa minorem nota.* 1. Quòd in via, *quâ iter fecerit Paulus, apparuit.* Act. 9 v. 17. *Paulus autem in terrâ iter faciebat, non cælo. In terrâ ergò apparuit, non cælo, quasi oculi ejus ita illuminati, ut in cælos acie videndi pertingere potuissent, ut de Stephano hic regeri solet.* 2. Ita *apparuit Paulo, ut viderit eum, & vocem ex ore ejus audierit.* Act. 22. v. 14. *In terrâ ergò & propinquo apparuit, non Supremo & remotissimo à terris cælo.* 3. *Ita vidit, ut cæteri Apostoli & Petrus viderunt.* 1. Cor. 15, 56. seq. *Et ille Iesus visus est, quem persequebatur Paulus in membris.* Act 9 v. 5. *Ut inde veritatē resurrectionis Christi probare non vereatur,* v. 8. 1. Cor. *& ut Testis eorū esse posset, quæ vidisset,* Act. 26 v 16 *Sed Apostolis & Petro* hic in terris sub personâ propria est visus, *non vel in cælo, vel specie alienâ. Nec* idealis *Iesus aut species aliqua ejus persecutionem patiebatur in membris, sed realis & proprius: Nec certitudo pro resurrectione Christi ex aliena specie desumi poterat.* 4. Christus *ex eo, quo cælum occupavit, illud non deserit, usq; ad tempora restitutionis omnium, ut ex* Act. 3. v. 21.

Com-

communiter urgent Reformati. Fuit ergò tum, cùm Paulo apparuit, in terrâ, & per veritatem humanitatis etiam in cælo. E. simùl *in cælo & terrâ unum corpus actu fuit. E. hoc divinitùs in corpore fieri non est impossibile.*

LXXXI. Dices: Cœlum est domicilium ordinarium. *Extraordinariè autem ad tempus deseri potest. Et sic fuit in apparitione istâ.* R. Unde hoc probatur? *Et unde habent distinctionem loci Christi ordinarij & extraordinarij, tacente de hoc Scripturâ, ultra quam Christianum sapere in mysticis revelationibus fas non est. Christus in cælo ut loco suo circũscribitur, quod ex* Act. 3. *urgere solent. E. ante finem mundi nec ordinariè, nec extraordinariè cælum suum deserere potest, vi ejusdem textus. Dicitur enim ab illis* eo capi usq; ad tempora restitutionis omnium. *Unde* Considerator in consider. Commonefact. de cœnâ domini, qui Ursinus *putatur*, c. 2. p. 173. n. 36. *apertè Christum corporis sui substantiâ ante extremum judicium nec ordinariè, nec præter ordinem, nec visibiliter, nec invisibiliter, nec circumscriptè, nec incircumscriptè præsentem esse in terris posse, ait. Et* Be a *sine ullâ limitatione negat, Christum secundùm carnem terris adesse, & cælis, non alio loco comprehendi docet,* in sum. Sacram. §. 1. & q. 6. 7. 9. 2. Vidit Christum, *sed in spiritu, non oculis corporeis: vel si his, in cælo & remotum vidit, non in terrâ & adstantem. Ita* Ambrosius, Augustin9, *& alii, cum quibus* Chamier, c. 9. *R. Ita vidit, ut Cephas & alii Apostoli,* 1. Cor. 15. *Sed hi nec in spiritu, sed in corpore, nec in cælo remotum, sed in terrâ propinquum viderunt. Patrum authoritas pro ornamento est, non firmamento. Et posito, in spiritu vidisse, tamen res verissimè subfuit,* & adstantem ac præsentem *in vero realiq; corpore eum vidit, non in merâ imagine, specie, aut phantasiâ. Visio n. hæc rem visam reverâ exhibuit, non inanem ejus repræsentationem aut speciem.* Argumentum n. confirmandi Paulum in fide, *ad quam conversus fuerat, inde sumitur.*

DE ESSE ALICUBI

EXERCITATIO DECIMA & Vltima.

De Multipræsentiâ Corporis, & Divisionibus ac affectionibus Vbietatis Circumscriptivæ.

Respond. Isaaco FABRICIO. Dantiscano.

THES. LXXXII.

PRima ratio ex argumentis secundæ classis pro multipræsentiâ fuit. Secundò *hic arguere sic licet:* Deus verum Corpus Christi in Cœnâ *sistit præsens ad manducandum, & sanguinem ad bibendum, ut ex Institutione Cœnæ firmissimè probatur, & alibi pluribus deducam. E. quoddam Corpus multis in locis simùl præsens sisti, DEo non est impossibile.* III. DEus superabundanter facere potest *supra id, quam nos petimus aut intelligimus,* Ephes. 3. v. 20. *E. & Corpus multis locis sistere, etiamsi Contradictorium Intellectui Nostro videatur, modò reverâ non sit.* IV. Author & Creator naturæ *etiam supra & contra naturæ inclinationem procedere potest. E. & DEus in hoc puncto contra Corporis inclinationem, Dummodò Veritas ejus non destruatur. Quod hic nō fit. V. Quia* nec à priori nec posteriori hoc Contradictorium Corpori est. *Nec enim materiam aut formam tollit, ut patet: nec naturaliter ea consequentia, Vt quantitatem, figuram, extensionem in molem, totum & partes, A quibus actu in loco esse nondum semper sequitur, Vt* §. 6. 7. seq. *patuit, Adeoq; facto uni loco commensuratum esse nondum ita sequitur, quin divinitus diversum hic locum habere queat, & Natura Corporis non evertatur. Pluribus* peculiari Tractatu de Multipræsentiâ *hæc deducam, & ab exceptionibus vindicabo, quando hic per breviora Omnia deducere non possum, & multa circa hæc dicenda adhuc*

, *estant, quæ* peculiari Tractatu *digna sunt. Præter votum contrahere iam cogor.*

LXXXIII. Sic secunda classis *argumentorum nostrorum pro multipræsentia expedita.* Tertia *nunc à testimoniis & hypothesibus Aduersariorum,* Quarta à *testimoniis Patrum & Scholasticorum,* & Quinta *ab adumbrationibus quibusdam & similitudinibus sumpta subjungenda esset, quæ & vniuersa confecta habeo: Sed quia multa sunt, & præsens* de vbietate Tractatus *vltra spem iam excreuit,* peculiari de multipræsentiæ tractatu *hæc deducam, vbi edendi occasio fuerit. Vbi &, quæ in contrarium magno numero, & non absurdâ specie objici possunt, specialiter ac plenariè resoluam.*

LXXXIV. Ita prima Nostra positio de *Multipræsentia confirmata: sequantur Coetera:* Dico II. Corpus multis in locis divinitùs statutum statuetur in illis præsentiis simplicibus, non a.localibus, nec circumscriptè in vno, vt extra esse non possit: sed nobiliore quodam modo, quàm qui alocalibus cōditionibus & infirmitatibus dependeat. *Ratio est, quia circumscriptè in multis locis sisti verissime contradicit, & intra simùl ac extra, conclusum & non conclusum, contentum & non contentum esse, importat, quæ verissimè contradictoria, ut in eodem Tractatu pluribus deducam. Multa enim intricatissima hic, & solidiore discussione dignissima.* Dico III. Eadem potentiâ, quâ Corpus aliquod à DEo in multis locis sisti potest, & spiritus Creatus in multis vbi sisti poterit. *Minus in difficultatis hic, ac in mole Corporea, ac consequenter minus picia Contradictionis, nec Reformatos multùm hic molestos nos habituros arbitror, si de Corpore id possibile esse constiterit.* IV. Eadem potentiâ, quâ in pluribus locis Corpus sisti potest, & in omnibus mundi locis sisti potest, hoc est, omnipræsens fieri. *Nec n. in hoc major est Contradictio, & Aduersarii quidam*

dam posterius concedunt, si prius evictum fuerit, Vt Beza, Amesius, Chamier, Tigurini, *aliiq́, ut* cit. tractatu *ostendam.*

LXXXV. V. An divinitus Corpus vbiq; sisti possit, ex termini significato ambiguum, & ex nostro impossibile iudicandum est. *Omnipræsentiæ n. vbiquetatem hic contradistinguimus, & essentialem ac interminabilem Entis infiniti, in spatiis simpliciter infinitis & interminabilibus adessentiam dicimus, ut* s. 2. §. 5. 6. 20 *patuit. Talis in Corpore vel ulla Creaturâ impossibilis semper judicata â Scholasticis, & nos cum iisdem impossibilem judicamus.* Conf. c. l. t. 39. VI. D facto aliquod Corpus in pluribus locis â DEo sisti ex *sola* revelatione supernaturali cognitum habemus, *ex eaq́, totum hoc & eius specialis ratio haurienda, iudicanda, & æstimanda est. Naturæ leges huc asscendere non possunt, & eius jura divinam revelationem spiritualem evertere non possunt.* VII. In Corpore Christi ex revelatione cognito longé facilius est multipræsentiam agnoscere, quàm in alio. Ratio est, *quia hoc Corpus personaliter in verbum assumptum creditur, ut cum DEO unam personam faciat, & ad dextram dei super omnia, quæ nominari possunt, evectum, ac gloria & honore incredibili coronatũ creditur, ut latius alibi deducitur. Iam in tali Corpore facilius multipræsentiam agnoscere erit. quàm in alio, de quo hæc & similia cognita non habemus,* VIII. In Præsentia Christi hominis assignanda tantùm ex revelatione Scripturæ judicandum, non vltrà vel ex nostrâ ratione ejusq; consequentiis procedendum, vel pro nostro arbitrio quidquam constituendum. Ratio est, *quia hæc præsentia est singulare mysterium, quod extra scripturæ revelationem nulli hominum occurrisset, & extra fidem nulli patet. Ergò non extra suum Principium de tali mysterio constituendum aut judicandum est, sed tantùm ex eo, prout in eo præsentia ista promittitur, describitur, determinatur, &*

proponitur. Sic n. in aliis mysterijs meræ revelationis procedere solemus, & in rebus, quæ peculiari pacto & promisso nituntur. Similiter & in hoc procedendum. IX. Vt in substantia multipræsentia DEo possibilis: Ita & in accidente. *Sequitur hoc n. ubietatem substantiæ, ut subiecti sui, extra quod non est. Et sic si substantia aliqua multipræsens à DEo statuitur: & accidentia in ea simul multipræsentia constituuntur. Pluribus hæc omnia* allegato Tractatu *deducam.*

LXXXVI. Sic & ultimum *circa definitionem Vbietatis circumscriptiva discussum,* quà Ens materiale in spatio per naturam sui esse postulat, non spatiis: *Et an potestate infinitâ in pluribus spatiis simul citra destructionem essentiæ sisti possit, l evioribus positionibus ventilatum: Succedant* divisiones aliquæ alicubitatis circumscriptivæ. Alicubitas circumscriptiva aut naturalis est, aut supernaturalis. Naturalis, *quæ per Naturam corpori competit, & omnia requisita circumscriptionis naturalis servat. Vt commensurationem partium omnium ad locum, positionem partis extra partem localem, situm determinatum, conclusionem intra ambientem terminum, si de facto eo sit circumscriptum, & similia. Hæc supra* §. 4. *definita, tanquam potior & huic tractationi destinata species, quomodo naturales rerum habitudines in definitionibus notare solemus, relictis supernaturalibus competentiis.* Ita alicubi definitivum *sic descriptum fuit, ut ex naturâ rei se habet. Non quid ex principio supernaturali ei convenire possit,* f. 3 § 7. Præternaturalis, quæ omnia naturalis adessentiæ requisita aut consequentia non servat, *sed actum naturaliter consequentem per dispositiõem primi agentis impeditum habet. Ita in tali casu Commẽsuratio partium omnium ad locum, ambientis termini actualis circumscriptio, in clusio & constrictio, quæq; in naturali circumscriptione adesse solent, absunt, &* naturalis habitudo ac potentia *ad ea saltem in corpore retinetur. Ita corpus in diversis lo-*

eis à DEo statutum uno termino actu non circumscribitur, sed sine circumscriptione actuali in pluribus spatiis simùl locatur, ut §. 84. dictum Et ex tract. de multipræsentiâ uberius patebit. *Ita actualis loci occupatio & partium corporis ad eum commensuratio à corpore interdum abest, ut* §. 7. seq. *disputatum. Ita corpus Christi in Cœnâ mysticè & Sacramentaliter credimus, ut nec termino actu concludatur, nec localiter partes ad spatium commensuratas obtineat.* V. f. 3. § 3. 8.

LXXXVII. 2. Alicubitas circumscriptiva aut per se est & primaria, aut per aliud et secundaria. Per se est, quæ Corpori & quanto *per se competit Talis est in illis, quæ molem & corpus in sese habent, & per se naturaliter habere debent. Hæc suprà* § 4. *definita, unde & entis materialis, seu quod corpus & quantitatem habet, esse dicta est. Hoc ergò modo corpora alicubi circumscriptivè per se sunt, quia molem & materiam habent, ratione cujus partem extra partem, & naturaliter ad extensionem ac quantitatem spatji extensas eas habent.* Per aliud est, quæ eorum est, quæ molem in se non habent, illis tamen, *quæ eã habẽt, jũcta sũt Hũc alicubitatis modũ in formis materialibus, accidentibus rerũ materialiũ, ut coloribus, odoribus, figuris, & animâ rationali corpore huãno cõiũctâ agnoscere solẽt Philosophi, ut* f. 3. §. 25. *adductũ.* Aniã tamẽ ratioãlis *ad hũc alicubi modũ incomodè trahi videatur. Nec enim aliter, quàm definitivè ea alicubi esse potest, cum spiritus & simpliciter immateriale quid sit, & etiam, quà in corpore est, definitivè adsit, ut in toto tota, & in qualibet parte tota existat, ut* f. 3. §. 12. *monitum, nec ad extensionem subjecti & ipsa in se extendatur, quod cæteras materiales formas in subjectis suis facere conceditur, quas ob id per aliud & per accidens quantas vocare solemus. Sic albedo & si in se mera forma, immateriata, inextensa, indivisibilis sit: extensionem tamen & divisibilitatẽ in subjecto sortitur, ut una albedinis pars sit extra aliam,*

& locis partes sejungantur, sicq; quantitatem aliquam per subjectum nanciscitur. Sed in animâ rationali hæc omnia secus sunt. Hæc nec quanta in se, nec ex subjecto quantitatem accipit: *sed ut spiritus simplex indivisibiliter totum corpus permeat, agitat, vegetat, vivificat. Nec partem animæ in hoc membro, partem in alio assignare licet; ut partem albedinis in hoc parietis tractu, partem aliam in alio assignamus: sed tota est & hic & ibi, tota in cerebro, tota in hepate, tota in corde. Non multiplicata, non divisa, non extensa, non diffusa: Nec animam in gigante majorem, in nano minorem statuemus, ut albedinem magnam in magno globo, in parvo exiguam agnoscimus: sed* simpliciter indivisam & spiritualem eam esse *fides Christiana & ratio sobria confitebitur, ut ex his omnibus animam nec per accidens quantam esse, nec consequenter circumscriptivè alicubi esse concedi possit, quod de formis reliquis materialibus alias concedi solet. Anima humana est in quanto, & juncta quanto: sed inde non dicenda per aliud quanta, quia quantitatis & extensionis nihil à quanto recipit, sed ipsa est forma et actus quanti, perfectionem essentialem & substantialem ei concilians, non imperfectiones quanti ab eo recipiens. Et ut non per aliud quanta dicitur:* sic nec alicubi circumscriptivè per aliud dicenda est. *Reliquæ qualitates materiales aliquid quantitatis recipiunt, non in se & essētiâ quidē:* sed in subjecto & existētia. *Ita albedinē per totum parietē extēsā dicimus; unde per aliud quātas, & sic circumscriptivè alicubi esse per aliud dici possunt. Hactēus discrimē inter animam humanam & accidentia materialia obtinet.* Conf. c. 3. §. 25.

LXXXVIII. Sic & divisio alicubitatis Circumscriptivæ *fuit. Succedant Competentiæ aliquæ & velut consectaria ex eâ deducendæ.* I. Vbietas circumscriptiva est për extensionem, diffusionem, occupationem, & termini ambientis conclusionem, *ubi locus de facto occupatur, & omnia merè naturaliter*

ter & nō impedita se habēt, nō simplicē adessendi desigātionē. 2. Est eorū, quæ partes extra partes habent, *quamdiu in actu & statu naturali se habent. Postulat nempe spatium occupare illi extendi, & pro quantitate suâ quantitatem spatii unius adimplere. Ubi in statu supernaturali fuerint, partim in pluribus spatiis adessentiis simplicibus esse, partim materialiter & quantitativè locum non occupare poterunt, ut ex suprà disputatis liquet.* 3. Alicubi circumscriptivū corpus aliud in eodem secum spatio non admittit, sed excludit. *Non enim dimensionum penetratio in quātis & corporibus admittitur à Naturâ, sed respuitur & impeditur. Ubi supernaturaliter actus quantitatum in quantis impedita fuerint, & duo corpora in eodem spatio penetrativè simul esse poterunt, ut exemplo* Corporis Christi lapidem sepulcralem, uterum Virginis matris clausum, & januas domus clausas & non reseratas penetrantis, *uberiùs* Patres *quidam docent*, ut Justinus q. 117. Cyrillus l. 12. in Joh. c. 35. Chrysostomus hom. 9. d. resurr. Augustin. l. 22. d. Ciu. DEi. c. 8. Cyprianus serm. d. natiu. Christi. & *in Theologicis disceptari solet. Dissentiunt hic quidem iterùm* Reformati, *& simpliciter penetrationem quantitatum impossibilem, etiam per absolutam potentiam, judicant.* Vide Chamierum T. 2. panstr. l. 6. c. 7. l. 4. c. 3. Alstedium in supplem. d. Eucharist. c. 5. n. 14. & c. 6. n. 42. & p. 4. Theo. Polem. p. 424. Amesium Tom 3. Bell. enerv. l. 4. d. Euchar. c. 3. §. 7. Vorstium tùm adhuc Reformatum, in T. 3. Bellarm. contr. 3. c. 6. 7. Pareum in c. 28. Matth. v. 2. Sohnium T. 2. Aug. Conf. p. 385. 386. Altingum not. in disp. D. Behm. d. cœlo. q. 9. Crocium p. 1. Conv. Pruten. q. 9. p. 493. seq. Rivetum in Psal. 22. v. 10. aliosq́; *Res tota alibi disceptanda erit. Hic ingens pelagus conflictationum iterùm ineundum, si totam quæstionē ultrò citroq; expeditam pertractare aggrederer.*

LXXXIX.

LXXXIX. Penetrationem quantitatum *virtuti divinæ possibilem confiteor, & si omnia argumenta, quæ pro eâ adferri solent, non magnoperè probem. Vulgò Christum clauso matris utero natum esse creditur.* Patrum *non consentiens hîc est sententia.* Origenes, Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus *ad contrarium alicubi inclinant. Magnus ille è Nostris* Chemnitius *Lucam simpliciter & vulgaribus vocabulis nativitatem Christi descripsisse ait, ut ostenderet, non quærenda præter Scripturæ testimonia, extraordinaria in Nativitate miracula, sed quæ naturaliter post conceptũ fœtũ in utero sequi, quæ in partu fieri & partum comitari solent, etiã de hac nativitate cogitanda esse. Sententiam* Exod. 13. & Num. 8. *de primogenitis aperientibus matricem accommodari ad Christum,* Luc. 2. v. 23. *Et ubi destituimur Scripturæ testimoniis, nihil adseverandum, sed potius illud Pauli cogitandum esse: Exinanivit seipsum.* in harmon. c. 8. *Quam regulam non improbare se velle* ait D. Mentzerus in AntiMart. p. 527. Beza vol. 3. f. 118. *minimè laborandum censet, quâ ratione Christus natus sit. Nec res ipsam fidem concernit, modò Mariam in conceptione & partu verissimam virginem mansisse consentiamus. De* Resurrectionis *Christi modo similiter diuersitas est.* Ex Reformatis Marloratus in c. 28. Math. *Christum occluso sepulcri ostio resurexisse censet.* Alii *cedente & se aperiente eo factum putant. De his similibusq́ rebus* D. Mentzerum c. l. D. Gerhardum in harm. resurr. Maldatõum in c. 28 Math. v. 2. aliosq́; vide. 4. Alicubitas circumscriptiva à corporibus est inseparabilis, ut modus aliquis transcendentalis essentiæ corporeæ *intimè inclusus, eamq́ consequens: etsi circumscriptio externi loci actualis separari possit,* V. §. 67. 5. Eadem & in vacuo esse potest, & si actualis circumscriptio in eo esse nequeat. *Sic si DEus extra mundum hominem statuat, ibiq́ conservet, alicubi circumscriptivè erit, quia corpus erit,*

actu

actu circumscribente corpore non ambietur, quia nullum ibi, sed spatium vacuum imaginarium. Conf. f. 3. §. 31. 6. Eadem infert situm, non præcisè in loco actu occupato, *Hoc enim à corpore interdum abesse potest: aut superum, inferum, dextrum aut sinistrum, stare, cubare, sedere, &c. quæ etiam situs dicuntur, hæc etiam non omnibus corporibus ex naturâ sui insunt*, V. §. 29. *Sed ut situs ordinem partium suarum dicit, ut partes extra partes in seipso distinctè situatas & inconfusas habeat ac retineat.* V. §. 27. 29.

XC. *Ita* absolutè *alicubitas circumscriptiva spectata. Restat* respectivè *lustranda, quà convenientiam & discrepantiam.* Convenientiam, partim cum ubietate transcendentali, *divinâ, definitivâ, & prædicamentali, cum quibus omnibus convenit, partim quòd modus & attributum quoddam inseparabile in corpore & quanto sit, ut illa partim in ente, partim DEo, & spiritu finito sunt. Partim quod necessaria & essentialis quando sit, ut illa suis subjectis.* Cum prædicamentali, *quòd ut illa accidens, sic hæc attributum: Ut illa consequens subjecti, non quidditas: Sic & hæc.* Discrepantiam partim ab iisdem, partim ab ubi prædicamentali. *Ab his omnibus quomodo differat alicubi circumscriptivum, ex analogiâ differentiæ alicubi definitivi suprà* sect. 3. §. 33. 34. *explicata patere potest. Ubi quæ de alicubi definitivo dicta sunt, &* de circumscriptivo *per analogiam intelligenda veniunt. Non attinet, copiosè omnia hic repetiisse: sed quæ hactenùs dicta*, de universâ alicubi esse doctrinâ *in gloriam DEi & veritatis confirmationem disceptata sufficiant.* Si quæ benè accuratèq; dicta, DEo imputari velim, veritatis & autori, & consummatori. Si falsa aut inaccurata intercurrant, mihi & humanitati ignosci, cujus proprium, in multis vacillare, in abstrusis cæcutire. *Neminem aut dif-*

 ficul-

ficultates has ignorantem, aut à me dissentientem, damno. Dissensum in his omninò ferendum censeo, §. 69. Si quæ in tantâ copiâ prætermissa, *semel universa dici non posse cogitari velim: nihilq́, humanorum adeò consummatum esse, quin adjici ei aliquid possit. Alia vice ea à me exspectari possint.* In diffusâ sylua *industrio Venatori in culpam non est, si feras solerter quàm plurimas ceperit, aliquas tamen reliquerit. Nec Nobis, si in amplissimo materiarum theatro non Vniversa decerpentes*, è segete ad spicilegium velut stipulam reliquisse *videamur.*

Au ctariorum loco.

C*Vm de multipræsentiâ quadam hoc tractatu constituta sint, pro auctario brevem synopsin argumentorum quorundam contrà eam subjungere non indecorum visum est.* Dices 1. Tollitur *unitas & indivisio Corporis per multipræsentiam.* R. Essentialis *& intrinseca non: Sed corpus unum manens varias ubicationes & habitudines accidentales essendi in varijs spatijs, supernaturali potestate sortitur.* 2. Ex natura *Corporis est, uni loco proportionari. E. contra eam, multis.* R. Ei, *quod ex naturâ est, non solùm contra naturam, sed & ultra, supra, & præter eam opponitur. Et hoc in nostro corpore ita ubicato est.* 3. Totum in multis *simùl etiam est ubiq́. Sic Patres arguunt. R. Ex nostrâ hypothesi nullatenùs id sequitur.* V. f. 2. §. 20, 21. & f. 4. §. 85. 4. Finitudo *Corporis tollitur, si ultra unum locum sit. Hoc a. corporis naturam evertit.* R. Duo a. *tria loca, in quibus corpus poni dicitur, nondum infinitatem important. Quod in nostro scopo nobis satis est, etiamsi de Vbiquetate & infinitis spatijs nihil constituamus. Manet finitum essendo, adessendo, operando, etiam quod duob. locis à DEo constituitur.* 5. Circumscriptivitas *corporis tollitur. R. Circumscriptio actualis in uno tollitur, non circum-*

cum-

cumscriptivitas, s. ad circumscribendum habilitas, quæ perpetuò in corpore manet, etiamsi circumscriptio alterius corporis de facto non adsit. V. s. 4. §. 5. 6. seq. 6. Nullus *modus alicubi essendi tali corpori assignari potest. Non repletivus, definitivus, nec circumscriptivus.* R. Nempe *hi sunt modi naturales alicubi essendi in rebus. In nostro a. corpore est supernaturalis. Et circumscriptivus modus, si verè explicetur, non tollitur, sed manet, etsi actus circumscriptionis de facto externi circumscribentis tollatur, qui & in alijs corporibus sublatus est, ut* s. 4. c. 1. *ostensum.* 7. Nec angelus, *nec anima in duob. locis simùl sunt. Minùs Corpus. R. De animâ falsum est.* V. s. 3. §. 12. *Et si verum, naturaliter ita esset. Supernaturaliter a. diversum esse posse* s. 4. §. 84. *dictum, & uberiùs Tract: de multipræsentiâ dicetur.* 8. Nec generatione, *nec motu locali corpus simùl in multis est. E. nullo modo.* R. Insufficiens *enumeratio. Addi potest, aut peculiari Dei constitutione, & ad duo loca adductione. In mysticis longè incredibiliora assumuntur, ac hoc est.* 9. Prædicata *Contradictoria tale corpus admittere posset. R. Negatur. Aliud, in duob. locis unum esse: aliud, contradictoria prædicata in illis admittere. Vt esse & non esse, vivum & mortuum s. non vivum, sanum & non sanum esse. Hæc & plura alia* Tractatu nostro de multipræsentiâ *fusiùs ac specialiùs, Bono cum Deo, deducentur & confirmabuntur.*

Gloria in Excelsis DEO.

Benevolo Lectori S.

Ne te turbet, *Lector benevole*, quòd in tractatu hoc allegati interdùm occurrant paragraphi 96. 97. 100. 124. & similes, *Sectionis quartæ*, cum ipsa

ipſa ſectio 90. tantùm paragraphis tota abſolvatur. Materia *de multipræſentiâ corporis* breviter hic tacta, uberiùs in ſectione hac pertractari ex primo deſtinato debuit, indeq; in tot paragraphos ſectio hæc excreviſſet. Sed cùm nec edendi occaſio jam fuerit: & præſens tractatus ultra ſpem excreverit: & multa de multipræſentiâ tradenda veniant, prima deſtinata paulùm immutare, ac *peculiari tractatui* totam iſtam doctrinam reſervare, aliiq́ue tempori cōmittere commodius viſum fuit. Vbi edendi occaſio fuerit, primo tempore materiam illam diſtinctè â me tractatam habebis, membris ſingulis probatis, & obſtantibus amotis, peculiari in id conſumpto Tractatu, Id te non ignorare volui, & præſente interim tractatu de Vbietate contentum eſſe, ac pro me apud DEum precari velle peto, optimequè valere voveo.



H. NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.